TABULAE ANATOMICAE CLARISSIMI VIRI BARTHOLOMAEI EUSTACHII QUAS...

Bartolomeo Eustachi, Giovanni Maria Lancisi



TABULÆ ANATOMICÆ

CLARISSIMI VIRI

BARTHOLOMÆI EUSTACHII

Quas è tenebris tandem vindicatas

ET

CLEMENTIS PAPÆ XI.

Munificentia dono acceptas,

PRÆFATIONE, AC NOTIS ILLUSTRAVIT

JOH. MARIA LANCISIUS

ARCHIATER PONTIFICIUS.

EDITIO ROMANA ALTERA.





ROMÆ CIƆ IƆ CC XXVIII.

Sumptibus Laurentii, & Thomæ Pagliarini Bibliopol. sub signo Palladis.

Ex Typographia Rochi Bernabò. *Superiorum permissu.*

LAURENTIUS, ET THOMAS PAGLIARINI
LECTORI SALUTEM.

QUUM Joh. Jacobus Mangetus pluribus virorum illustrium testimoniis, quæ ad laudem faciunt Eustachii, probante, quin imò eadem suppeditante Cl. Viro Joh. Maria Lancisio, editionem suam Tabularum exornaverit; nos quoque, tanti Viri judicium magni, ut par est, facientes, illius vestigia persequimur, & ipsamet elogia, præfationis loco, præmittimus. Vale.

De Iis, qui in genere laudant Eustachium.

HIeronymus Mercurialis Variar. lection. Lib. II. Cap. V. ubi de variis Antiquorum eduliis. Autor est, in Onomastico Erotianus ἄρτον ἐγκρυφίαν ab Atticis appellatum esse panem ex pinguibus palmulis, farinâ & aquâ confectum, nec non in calido cinere coctum, quem etiam τύρξαν vocatum dicit. Quo in loco facilè assentiam doctissimo, & de Medicinæ studiis optimè merito Bartholomæo Eustachio, nostrum *torte* populare nomen veteres Romanos habuisse, si quemque alium &c.

Jo. Georgius Schenkius in Biblia Jatrica pag. 88. Bartholomæus Eustachius Sancto-Severinas Medicus, & Anatomicus consummatissimus, Erotiani συλλέξεις auxit, & illustravit, Romæ, conjicio, evulgatas. Ejusdem de Renum structura, officio, & administratione, de auditus organis, Ossium examen, de Motu Capitis, de azygo vena, & de vena, quæ in brachii flexu communem profundam producit. De Dentibus &c. publicata sunt Venetiis 1564. in 4. Idem Tabulas sex & quadraginta æreas Anatomicas accuratissimas exculpi curavit, Librumque de dissensionibus, ac controversiis Anatomicis se editurum receperat. Opus mehercule maximè necessarium; quod tamen hactenus videre mihi non contigit. In Anatomica Eustachii scripsit Matth. Petrus Pinus; de quo suo loco.

Ferdinandus Eustachius de Vit. Humanæ Prorogatione, Epistola Dedicat. ad Sixtum V. ad quod (scilicet ad edendum opus sub Patrocinio tanti Principis) quum multa me moveant, tum verò id potissimum excitavit, quod Sanctitas Tua Patrem meum Bartholomæum Eustachium, qui mea laudatione apud eum non eget, in sua semper habuerit tutela.

Jo. Schenckius in Præfat. observation. ubi loquitur de Alexandri Petronii opere inscripto Historia Morborum à se curatorum. Maturè, inquit, ab Autore antequam humanitus ei quid eveniat ad publicos usus proferatur, ne tot annorum vigiliæ, & labores ad ægrotantium pædores, molestias, & gemitus ab absolutissimo Medico exantlati (quod ipsum Fernelii, Vesalii, Valleriolæ, Gemmæ, & Collegæ quoque illius olim Bartholomæi Eustachii scriptis accidit) dubiam vitam sortiantur &c.

Et paulò superiùs. Alii suis operibus rara, & nova plurima commixta exhibuere, Alexander, Benedictus, Brasavola, Columbus, Eustachius &c.

Et Lib. III. Obser. de Ren. Morbis, pluries citat Barthol. Eustachii opuscula de Renibus Calistus Procaccinus, Medicus ad Tyrones, titul. Primates Medici nostra tempestate, qui in Urbe fuerunt. Bartholomæus Eustachius inter Primarios commemorandus, qui de Anatome humani Corporis et alios commentarios fecit. Is propter sui scientias, & variarum Linguarum peritiam in maximo fuit honore, & apud Illustrissimum Cardinalem, ut dicunt, Urbinatem, residere meruit.

Commendant Eustachium ob Inventionem Ductus Thoracici.

GErardus Blasius Anatom. Anim. De Equo pag. 68. de vase eo, quod ductum thoracicum scilicet chyliferum appellare placuit Recentioribus, lectu digna sunt, quæ habet Eustachius Lib. de venâ sine pari, Antigr. XIII. *quandoque*, inquit, *etiam vena sine pari* &c.

Theodorus Janson. ab Almelovven Inventa Nov-Antiqua pag. 211. in hæc verba loquitur contra Pecqueti Laudatores. Dii vestram fidem! quid enim clarius, quid conceptius dici potuit, quàm quod Bartholomæus Eustachius, Medicus, & Anatomicus Romanus, in eruditissimo Libro de Renibus, Ossibus, & Vena sine pari, Venetiis 1561. edito conscripsit: & ne me putes σοφιστικὸν rarissimi Voluminis centonem adnectam. Ad hanc ait Eustachius pag. 301. Antigram. XIII. de vena sine pari &c. quem adibis.

Lau-

Laudant Euſtachium propter Tractatum de Auditus Organo.

JUlius Cæſar Arantius Cap. XI. de Hum. Fœt. pag. 56. ubi de Timpano Auris. Eorum formam, poſitionem, & muſculum primo oſsiculo movendo deſtinatum Præclariſsimus Euſtachius, cæteris omnibus in hoc organo inſigniter illuſtrando, meâ ſententiâ, præferendus, non ſolùm elegantiſsimè ſcriptis expoſuit, verùm etiam exactiſsimè delineavit &c.

Idem Cap. ſeq. Sed de muſculi ab Euſtachio obſervati uſu neminem ſcripſiſſe novi: hunc muſculum qui negant, vel non reperiunt, aut negligentes, aut hebeti viſu ſunt præditi; qui verò diſsimulant, alienæ laudis invidi cenſendi ſunt.

Andreas Laurentius Oper. To. I. Lib. XI. Cap. XIII. de Aure Interna &c. In ſecundo hoc ductu multa occurunt Veteribus Anatomicis incognita; à Recentioribus præſertim Euſtachio, & Volchero eleganter deſcripta &c.

Julius Caſſerius de Organo Auditus Cap. XIII. ubi de muſculis oſsiculorum contra Laurentium. An autem duo tantùm ſint, an plures, & ubi conſiſtant, unde orti, quomodo progrediantur, ubi inſerantur non docet; ſed Volcherus Cap. VIII. de Audit. Inſtrumento, unum eſſe ex ſententia Euſtachii, duos ex aliorum refert: illius, quem Euſtachius notavit, deſcriptionem ab Euſtachio deſumptam dumtaxat adducit: de altero ne verba quidem habet. Et paulò infra. Hic muſculus primùm ab Euſtachio obſervatus, ac patefactus fuit.

Idem Cap. ſubſeq. Ortum ejus, inceſſum, connexionem, implantationem, Bartholomæus Euſtachius docet, aſſerens, chordam hanc non ab una, aut altera portione quinti paris nervorum cerebri, ſed ab altero ejuſdem viſceris, quarti-jugi nervorum ramo, prodire &c.

Idem Cap. XII. Lib. I. de Aure; ubi de tribus oſsiculis. Realdus Columbus (quæſtio eſt de ſtapede) illius ſe fuiſſe primum obſervatorem gloriantur, Bartholomæus Euſtachius multò antè illud oſsiculum, ſe neque edoctum, neque monitum ab aliquo, animadvertiſſe, quàm illi ſcribant aſſeverat.

De Iis, qui Euſtachium laudant ob Tractatum de Renibus.

ANdreas Laurentius Op. To. I. Lib. VI. de Renib. Cap. XXIII. Renum ſtructura mirabilis eſt veteribus incognita, & junioribus ferè omnibus, qui brutorum potiùs, quàm hominum Renes deſcripſerunt. Ego Fallopii & Euſtachii ſcriptis, dein ſectione ipſa, & αὐτοψίᾳ peritior factus, totam renum ſtructuram breviter aperiam. Et paulò infrà: In renum ſuperiori parte glandulam inveniri inſignem ſcripſit Euſtachius. Eam vidimus nos aliquando, ſed ſæpe etiam deeſſe obſervavimus.

Matth. Tilingius de Adm. Rén. Struct. pag. 25. Hoc unum autem omnibus ſpondemus: nos non ſolùm hanc Renum hiſtoriam, eorumque uſum mirificum propriis, ſed Virorum quoque in Medicina, & Anatomia Celeberrimorum, ac Præſtantiſsimorum, ut Euſtachii, Fallopii &c.

Idem pag. 55. Primam harum glandularum Renalium inventionis laudem nonnulli I. Caſſerio Placentino deferunt, qui Renes Succenturiatos iſtas vocat: plurimi Barthol. Euſtachio, cui hoc ipſum de ſe teſtari Tr. de Struct. Ren. Cap. VI. placuit, eorumque ſub glandularum nomine meminit. Et pag. 148. Egregiè admodum de hoc nervorum plexu ſententiam ſuam omnibus manifeſtam reddit Bartholomæus Euſtachius, Tr. de Ren. Struct. & officio Cap. XXI. cujus verba, quæ nos non pigebit, licet prolixa, hic adſcribere, hæc ſunt. Ego non contradicendi ſtudio Galeno &c. & pag. 177. Rectè igitur Barth. Euſtachius de Ren. Adm. Struct. Cap. XLV. alterum Renem officio ſuo probè fungi, altero obſtructo arbitratur &c. Idem pag. 205. Glandula item unicuique Reni parte ſuprema adhæreſcit, à Bartholomæo Euſtachio primùm inventa &c. Idem pag. 265. Plura non adducemus, Lectorem quemlibet ad Eruditiſsimum Bartholomæi Euſtachii Tractatum de Ren. Structura, & Uſu remittentes, qui ex profeſſo de iis agit.

De Laudibus Euſtachii ob Tractatum de Vena ſine pari.

MArcus Aurelius Severinus Seilo-Phlebotome caſtigata Par. 5. §. 1. definitor. pag. 136. Tertius acceſsit Barthol. Euſtachius Sancto-Severinas Lib. de Venis, Cap. XLI. & in examine oſsium pag. Venetâ 226. f. ſententia ſic ferme conſtituta, ut hac egregia via pulmonum, ac Thoracis expurgationes derivari ſæpe fuerit ratus etiam invito Galeno, qui purulentas colluvies per intimam cordis regiam inſolenter dirigere non dubitavit.

Hæc ex Mangeti Præfat. ad Euſtachii Tabulas.

BEA-



N. Ricciolini inv. et del. *C. Gregori scu.*

BEATISSIMO PATRI
CLEMENTI XI. P. O. M.

JO. MARIA LANCISIUS PERENNEM INCOLUMITATEM.



IBLIOTHECAM *hodie*, BEATISSIME PATER, *in publicum dedicaturo nihil mihi gratius, feliciusque obtingere poterat, quàm ut illa, dum primum studiosorum commodis patet, simul etiam augustissima* TUAE APOSTOLICAE MAJESTATIS *præsentia, atque splendore illustraretur. Nam, quum ipse ego à puerilibus annis honestissimæ cogitationi comparandorum librorum immorarer, & firmiori ætate, ac fortuna pulchritudinem, atque utilitatem operæ, quæ annuos sumptus exhauriret ad fovenda studia ingenuorum, mente complecterer, hujus tamen liberalitatis amor tunc vires æris mei longè supergrederetur; Tu,* PONTIFEX MAXIME, *singulari humanitate, & prolixa munificentia augere me, ac juvare dignatus es. Æquissimum idcirco fuit, ut literarias opes, quas, Te favente, collegeram, adventus quoque Tui autoritate, atque auspiciis, literarum cupidis aperirem. Hinc posteri planè intelligent, quidquid librorum, & codicum, quidquid apparatus, & instrumentorum ad mathematicas præcipuè physicas, atque anatomicas disciplinas perdiscendas hoc loco, studiis alioquin Medicis aptissimo, per me congestum cernitur, ad* SANCTITATIS TUAE *gloriam potissimum pertinere. Sed quoniam vicissim jura omnia postulare videntur, ut Bibliotheca nostra, æternis à Te beneficiis cumulata, hoc ipso die perenne aliquod posteritati consignet grati animi monumentum; sanè nihil habet, quod Tibi* PRINCIPI SUO *jucundius esse possit, aut justius debeatur, quàm, ut quæ benignissimè à Te collata, ac tua omnino sunt, cum exigua solum accessione laboris mei* TUAE BEATITUDINI *sine cunctatione restituat; Anatomicas scilicet Eustachii Tabulas, quas diuturnis centum, & quinquaginta annorum tenebris obsitas, & latentes Literaria quidem Respublica graviter doluit, Tu verò,* SANCTISSIME PATER, *eximia ingenii tui perspicacitate, animique magnitudine in lucem vindicasti, atque huic*

 no-

nostræ Bibliothecæ liberaliter concessisti. Cæterùm qua id ratione SANCTITAS TUA *susceperit, atque perfecerit, nos Lectorem opportunè admonebimus. Illud utique, quippe ad singularem commendationem hujus inventi conducens, neminem latere debet, quòd, quum Episcopum Sancti Severini (quæ Patria Eustachii fuit)* TUA SANCTITATE *mandante, rogaßem, ut in ea Civitate diligenter inquireret, num aliqua illius M.SS. ad Tabulas explicandas summopere necessaria apud hæredes superessent; respondit, non modò nullum autographum, sed ne quidem ullum ex hæredibus illic inveniri; subjecitque, clarissimum Marcellum Malpighium jampridem ex eruditioribus Civibus illius loci per epistolas percunctatum, an ex miserando naufragio operum illustris hujus Scriptoris, Tabulæ saltem Anatomicæ servatæ fuissent; sed nihil certi ea de re comperire potuisse. Tanti nimirum ducebat Anatomicorum ille nostræ ætatis princeps, ut opus, quod in manus hominum, Pontificia Tua largiente benignitate, nunc exhibemus, in publicum emolumentum assereretur. Tuum itaque erit,* SANCTISSIME PATER, *humaniter excipere primos agelli mei, vel potius Tui fructus, quos tanquam messis suæ primitias* SACERDOTI MAXIMO *debitas offert Bibliotheca, uberiores certè datura; præsertim si novis à* SANCTITATE TUA, *quod sperare jubes, beneficiorum rivulis ad sempiternum bonarum artium incrementum fuerit irrigata.*

HU-

HUMANISSIME LECTOR.



MNIGENAM Eustachii eruditionem commendare hîc supersedeo, sufficere ratus in memoriam Tibi revocare, illum ipsum Medicinam apud Urbini Ducem, ac postmodum apud Romanos Proceres, præsertim verò Amplissimos Cardinales Divum *Carolum Borromæum*, & Julium Feltrium de Ruvere ad senectutem usque, summâ cum nominis celebritate fecisse; magno item cum famæ splendore in Romano Lyceo Anatomen, dum Protomedicatus munere fungebatur, docuisse; scriptis denique luculentissimis suam, & futuram Medicorum ætatem, necnon Italiam omnem illustrasse. Quod autem ad eximiam variarum linguarum peritiam attinet; quum græci sermonis doctissimum satis prædicent latina interpretatio, & annotationes ad Erotianum, ab ipso jam editæ; de Arabica lingua eidem non cognita solùm, sed maximè familiari, certè contenti erimus locupletissimo testimonio celeberrimi Amati Lusitani illi æqualis, qui, quum Avicennæ opera, ut de arabico in latinum fideliùs transferrentur, optaret, unum per universam Italiam Eustachium ad eam rem præ cæteris idoneum se nosse, confessus est. *Dabit tamen Deus*, inquit Amatus [a], *aliquem, qui nobis integrum Avicennam restituat, latiniorem faciat, ac politum emittat. At, ut verum fateamur, hoc hodie Germanis, utpote Viris doctissimis, & linguarum peritissimis, debetur: si cui tamen Italorum opus hoc committi deberet, id meritò committi posset hodie Bartholomæo Eustachio, illustrissimi Urbinatis Ducis Medico ingeniosissimo, ac doctissimo, & multarum linguarum peritissimo.*

[a] *Cent. 1. Curat. med. curat. 2. in Schol. pag. m. 3.*

Deinde verò quæcunque ad egregii hujus Viri Anatomicas Tabulas, autoritate SANCTISSIMI PATRIS inventas, pertinerent, earumque dignitatem, utilitatemque commendarent, superiore anno ad doctissimum Anatomicum Taurinensem Joannem Fantonum perscripseram. Ea autem nosse quum tua plurimi intersit, ne actum agere videamur, illas ipsas datas ad Fantonum literas hîc subjicere operæ pretium ducimus.

CLARISSIMO, ERUDITISSIMOQUE VIRO

D. JOANNI FANTONO

Medico, atque Anatomico Professori celeberrimo

JO. MARIA LANCISIUS S. P. D.

SEx, & quadraginta * Tabulæ æreæ, quas Celeberrimus Bartholomæus Eustachius, per multos annos diligentissimè in re Anatomica versatus, incidi curaverat, & in epistola præfixa tum suis Opusculis, [a] tum Annotationibus [b] ad Collectionem vocum Hippocratis ab Erotiano institutam, vivens adhuc orbi literario pollicitus fuerat, adverso fato sesquiseculum delituerant; hanc indignè ferentibus jacturam doctis Viris, atque illas, sicubi fortè inveniri possent, assidua solicitudine quærentibus; eò quòd studiis, ac vigiliis tanti Scriptoris, ac tantopere in explorandis naturæ operibus commendati, plurimum utilitatis rebus Anatomicis allatum iri confiderent. Quamobrem doctissimus, mihique amicitia, quum viveret, conjunctissimus Dominicus Guglielminus, sæpe à me per literas flagitavit, ut ad eas conquirendas omnem diligentiam adhiberem. Id autem quum diu nobis Romæ frustra cessisset; tandem divino quodam consilio, & aspirante Sanctissimi Patris CLEMENTIS XI. excelso animo, ac benignitate, præter spem in manus nostras superiore anno pervenerunt. Ego verò, qui Medicæ facultati juvandæ labores omnis ætatis qualescumque dicavi, publicæ illas studiosorum eruditioni invidere minimè debeo. Itaque, quum Sanctissimus Pontifex inter alia plurima generosa, atque egregia Apostolicæ suæ Beneficentiæ argumenta, nunquam interitura, æreas has Tabulas dono dederit Bibliothecæ, quam in maximo Nosocomio S. Spiritus communi omnium, ac Medicorum præsertim usui, atque institutioni destinavimus, ad Te, præstantissime Fantone, eo præsertim consilio singularum impressa exemplaria mittenda constituimus, ut Bibliothecam Anatomicam, quam secundis curis adauget clarissimus Mangetus, Tibi amicissimus, mihique in primis observandus, nova etiam horum monumentorum accessione, si è re anatomica futurum censuerit, valeat locupletare. Quid? quòd omnia simul, quæ modò apud nos potissimùm desiderantur, atque expetuntur, Eustachii opera, tam amplo, præclaroque cum auctario istic, aut alibi, si collibuerit, recudi possent.

Quibus autem indiciis latentem hunc thesaurum deprehenderim, paucis accipe. Eustachius Petrum Matthæum Pinum Urbinatem, abs se propriis studiis, laboribusque socium adhibitum fuisse, in epistola illa, quam iisdem opusculis præposuit, apertè commemorat. Pinus verò, quum per id temporis Annotationes eorundem opusculorum præceptoris olim sui edidisset, lectorem pariter admonuit, à se provinciam susceptam, ut eidem operi renum figuræ adderentur; *quarum*, inquit, *Bartholomæo* [c] *diligentiam, ac sumptum, mihi, ut accuratè delinearentur, ac sculperentur, laborem debes*. Quinimo idem Pinus sex, & triginta annis ab interitu magistri sui, maximum Artis Medicæ detrimentum deplorans, in locupletissimo, utilissimoque Indice, quem ad Hippocratis opera, Eustachii consilio, jussuque adornaverat, promittit [d] *se in lucem, Deo favente, daturum Tabulas Anatomicas, quas multis ab illinc annis ære incisas habebat*. Hanc igitur rerum seriem ad Sanctissimum Principem, literarum, artiumque instaurandarum, & augendarum studiosissimum, detuli. Pontifex verò, quum Pinum nobili gente Urbini natum probè sciret, confestim summa illa, qua maximoperè valet, mentis perspicacitate, conjecit, apud Familiam Rubeorum, itidem nobilem Urbinatem, optatas latere tabulas; quum ex Pinis nullus virilis sobolis, sola verò muliebris stirpis Lavinia de Antaldis, quæ nupsit Francisco de Rubeis, hodie supersit. Neque Beatissimum Patrem conjectura fefellit. Nam, eodem mandante, in quibusdam studiosissimi Pini capsis inventæ sunt omnes. Quanta hinc animo meo voluptas incesserit, Tu satis intelligere, Fantone, potes, qui ejusmodi cognitionibus admodum delectaris, atque Eustachium in Anatomico Romano Theatro antecessorem olim meum ex ipsius scriptis clarè cognoveris.

Profectò tempus nunc mihi, atque opera minimè in eo insumenda videtur, ut, quid Eu-

---

* Sunt verò septem, & quadraginta, quia trigesima duas continet, quum utraque facie incisa fuerit.

a *Edit. Venet. anno 1564.* b *Edit. parit. Venet. 1566.* c *In Epist. Lectori adnexa libello Annotationum.*

d *In calce Epist. pariter Lectori, edit. Venet. anno 1597.*

Euſtachius in Anatome præſtiterit, Tu facultatis hujus præclarus cultor, perſpicias. Certè tot, ac tanta ſterili ævo primus ipſe deprehendit, ut mirari ſoleam, nonnullos magnum ſibi poſtea nomen peperiſſe ex una, vel altera duntaxat earum multarum obſervationum, quas ſimul omnes Euſtachius ſolus poſteritatem edocuit. Enimvero Euſtachii labores quanti fecerit ſplendidum illud Anatomicorum lumen Malpighius, ipſe ego præ aliis novi, qui non ſemel dictitantem audivi, *Euſtachium, ſi non tantum cultro, ſed etiam microſcopio, & liquorum injectione (qua in ſolis renibus uſus fuit) ſtructuras cæterorum vaſorum, ac viſcerum fuiſſet rimatus, omnes procul dubio poſteros à pertractanda Anatome fuiſſe deterriturum*. Adeo pro rudibus illis hac in arte temporibus eam exquiſitè, ſubtiliterque deſcripſit, ut fortaſſe ſine tanto duce, tot poſtea celeberrimi Viri, in humanarum partium fabricam inquirentes eam, ad quam pervenerunt, rerum Anatomicarum gloriam minimè aſſecuturi fuiſſent. Porrò non in eo morabimur, ut oſtendamus, quot, & quanta noſter Autor in ſolis renibus ab aliis vel non priùs obſervata, vel non planè explicata demonſtraverit. Satis profectò erit compendio dixiſſe, glandulas, ſeu renes ſuccenturiatos ab ipſo primùm compertos; quinimo detectam communem in renibus vaſorum membranam; denudatos tubulos in papillas intra pelvim deſinentes, per quos lotium à ſanguine, opitulante renum facultate, (nempe motu) & ſtructura, quaſi per colum ſtillatum exprimitur. Denique tentatum experimentum, fiſtulam in vaſa primùm emulgentia, deinde etiam in ureterem conjiciendi; qua ratione impulſus ſpiritus, vel aqua, retrorſum converſo, potiſsimum ex ureteribus, papillis, ac tubulis itinere, ad externam uſque renum tunicam aſcendit, eamque mirabiliter, perinde atque in ambuſtis accidit, à ſubjecta carne ſeparat. Unde luculenter edocemur, urinam ſecretam à ſuperficie renum, (quam glandularem eſſe Malpighius noſter centum poſt annos detexit) per tubulos, & caruncula mammillarum papillis ſimiles in pelvim percolari. Meritò propterea legimus [a] illuſtrem illum inter recentiores Anatomicos, & inter amicos meos amiciſsimum, Laurentium Bellinum ſubpuduiſſe, quòd, ubi de ſtructura, uſuque renum egit, Bartholomæum Euſtachium ſilentio prætermiſiſſet: fortè etiam quòd viderit apud Thomam Bartholinum [b] cenſuram per hæc verba ſibi inuſtam: *Quid ſi Bellino præluxerit Euſtachius*?

Illa quoque mirificè me afficiunt, quæ ab Euſtachio cùm in auribus, tum in thorace diligenter animadverſa fuerunt: in iis enim nemo ante illum incidi æreis in tabulis curaverat oſſiculum, ſtapedem dictum, & muſculum movendis oſſiculis neceſſarium. Nemo pariter tubas, ſeu meatus ab internis auribus in fauces prope cavitates narium ſuis cum janitoribus oſtenderat. In thorace verò canalem lymphæ, chyloque in axillarem venam ducendis, non minùs ſeculo antequam Pecquetus indicaſſet, patefecerat in equo. Ut autem eò magis eluceat inventio thoracici ductus in tanta temporum, rerumque Anatomicarum obſcuritate, repete, ſi placet, memoria Euſtachii obſervationem in libello de vena [c] ſine pari à ſeipſo per hæc verba deſcriptam: *Ad hanc naturæ*, inquit, *providentiam equorum venam aliàs pertinere credidi: quæ quum artificii, & admirationis plena ſit, nec delectatione, ac fructu caret; quanvis minimè ſit ad thoracem alendum inſtituta; operæ pretium eſt, ut exponatur. Itaque in illis animantibus, ab hoc ipſo inſigni trunco ſiniſtro juguli, qua poſterior ſedes radicis venæ internæ jugularis ſpectat; magna quædam propago germinat, quæ, præter quàm quòd in ejus origine oſtiolum ſemicirculare habet; eſt etiam alba, & aquei humoris plena; nec longè ab ortu in duas partes ſcinditur, paulò poſt rurſus coeuntes in unam, quæ nullos ramos diffundens, juxta ſiniſtrum vertebrarum latus, penetrato ſepto transverſo, deorſum ad medium uſque lumborum fertur: quo loco latior effecta, magnamque arteriam circumplexa, obſcuriſſimum finem, mihique adhuc non bene perceptum, obtinet*. Quid clariùs de canali thoracico Pecquetus? Aut quæ apertior confeſsio ignorati adhuc in abdomine finis, vel principii?

Prætereo interim, quæ primus annotavit celeberrimus hic Scriptor de Viſorio [d] nervo in prægrandi animali; quod poſtea Malpighius Xyphiam, & Thynnum eſſe indicavit, illum nempe *veluti tenuiſſimum matronarum linteum in innumeras rugas æquales, & pari ſerie diſtributas complicari, tuniculaque ambiente cogi, qua inciſa, poſtea facile evolvitur*. Quæ itidem in oſtio venæ cavæ juxta auriculam deprehendit, non ſolùm circa eandem majorem valvulam, quam tuberculum poſtea Lovverus dixit, quaque prohibetur, ne ſanguis à jugulo refluens ad inferiorem cavam deſcendat; ſed circa aliam longè exiliorem, & non minùs validam, quæ orificio venæ coronariæ [e] impoſita eſt, & cujus, quanquam poſterioris ævi Anatomici Veslingius, Blan-

a *In epiſt. ad Lectorem Opuſculi de Guſt. organo.* b *Anatom. Barth. cap. 17. de Renibus.* c *Antigr. 13: pag. 301.*
d *In oſſium examine pag. 227.* e *Ea de re verba fecit Euſtachius in Opuſc. de Vena ſine pari Antigram 11. pag. 289.*

Blancardus, & Verheyenus non meminerunt: nos tamen præclarum, ac summopere necessarium usum prodemus, Deo volente, in tractatu nostro de Motu Cordis. Verùm sexcenta hujus generis Tibi occurrent in excursu sequentium Tabularum, quas in volumen compactas eò libentiùs ad Te mitto, quò majori fiducia spem futuræ gloriæ ab ipsa detectarum rerum veritate idem sibi, dum erat vivus promittebat Eustachius; quippe qui prope calcem epistolæ, quam Lectori Erotianæ collectionis præmittit, hæc habet: *Illud velim scias, quasdam à me Tibi observationes, & inventiones anatomicas paratas esse, quas, modò æquum, ut spero, Te mihi judicem præbere velis, legisse nunquam pœniteat. Illas equidem jam pridem ære incidendas mandavi, sed edere supersedeo; quia nonnullos iis, quæ de renibus, de musculis ossiculorum auditus, de dentibus, de vena azyga, & de capitis motu, anno proximo superiore publicavi, vehementer audivi commotos fuisse: ideoque operæ pretium me facturum esse arbitratus sum, si aliquandiu expectarem, donec ipsi ad suam sententiam tuendam, si quid volunt, rescribant: ne novas subinde appendices meis scriptis adjungerem. Interea eos, dum hæc parant, non oro solùm, sed obtestor, ut quæ de memoratis ipsi partibus scripserunt, cum his, quæ ego asserui, amicè conferant: & si nostram reprehensionem injustam comperiant, tum verò objurgent, & conviciis me onerent, & qualibet pœna dignum putent: sin, ut spero, rem aliter se habere intelligant, publicæ, obsecro, utilitati consulant, animumque, veluti ingenuos ac liberos homines decet, ad rationem, & veritatem revocent: &, priori sententia deposita, non erubescant fateri, per quos profecerint.* Quamobrem dubitare ampliùs non poteris, mi Fantone, præclarissimos Anatomicos maximam lucem tum oculis, tum Commentariis suis ab illustri hoc, & perspicacissimo Scriptore fuisse mutuatos; aut saltem facilè cognosces, quàm multa sint, quæ deinde à recentioribus, Wirsungio nimirum in pancreate, Willisio in nervis, aliisque in partibus ab aliis comperta laudamus, vel nondum detecta turpiter adhuc ignoramus, ab uno olim Eustachio fuisse jam occupata. Quod sanè multos antè annos divino quodam vaticinandi ardore prædixerat Joannes Riolanus, [a] qui omnium, quà Græcorum, quà Latinorum Anatomicorum severissimus censor, ubi de Bartholomæo Eustachio verba facit, grave hoc testimonium, & publicum illius præconium ad nos propagavit: *Bartholomæus Eustachius Medicus, & Anatomicus Romanus præstantissimus, quum infinitorum penè hominum, & eorum animalium, quæ in sua terra gignuntur, corporibus incidendis, multos jam annos versatus esset; Opuscula quædam Anatomica tam accuratè, & eruditè elaborata de Renibus, Dentibus, Ossibus, Aure interna, & Azygo publicavit, ut nobis dulce desiderium totius Anatomes sic explicatæ reliquerit; quam si perfecisset, labores Vesalii, & Fallopii longè superasset, & aliis occasionem aliquid simile parturiendi præripuisset.* Judicium hoc Riolani de Bartholomæi Eustachii meritis paucissimis verbis novissimè confirmavit Joannes Munnikius in Epistola ad Lectorem suæ Anatomiæ. Sed longè magnificentiùs ad tandiu desideratas Tabulas extollendas de nostro Eustachio loquutus est Hermannus Boerhaave [b] in præfatione ad secundam editionem ejusdem Opusculorum, cujus verba, ut non me piguit huc attexere, sic & Tibi jucundum erit legere: *Utinam nobili hoc exemplo excitarentur qui Tabulas possident Eustachii Anatomicas, quas se delineando totum humanum corpus exarasse, & edendo paratas habuisse fide dignissimus Autor scripsit. Has profectò qui in lucem edet devinctissimos sibi habebit tanti Viri Manes; simulque obstrictum Literatum Orbem. Postquam enim Autoris in pingendo innotuit methodus, increvit incredibili augumento desiderium videndi opus, cui non aliud par extare, si ex ungue Leonem, crediderim.*

Eidem quoque summo viro multum, si quid in rebus Anatomico-Medicis ipse ego conari valeo, me debere profiteor. Etenim dissectiones cadaverum illorum, qui aliqua viscerum affectione laborarunt, inter primordia studiorum meorum, nimirum ab anno 1676. (quo tempore Medici Assidentis munere in memorato Nosocomio S. Spiritus in Saxia fungebar) arripui diligentiùs, nec unquam ampliùs dimisi; propterea quòd opportunè legissem ingenuum hunc Scriptorem, quum jam consenuisset, palinodiam per hæc verba quasi canentem [c] *Utinam ego, dum junior ætate fui, & bona valetudine præditus, huic potiùs Anatomiæ parti studium navassem, & tot annos, quot in illa consumpsi, in ista posuissem, neque tam serò ad agrum adeo fertilem excolendum aggressus essem; absolvissem, Deo adjuvante, nisi memet spes fefellisset, inceptum opus; & honesti laboris à me suscepti aliquem fructum, commendatione, & laude dignum, adeptus essem: quod exequi ampliùs nequeo, coactus tum ob ingravescentem jam ætatem, tum propter continuos, ingentesque articulorum crucia-*

a *Anthropographiæ lib. 1. pag. 31.* b *Lugd. Bat. apud Jo. Vander Linden. 1707.* c *De Renibus cap. 45.*

ciatus ab incœpto desistere, animumque penitus despondere. Quam equidem jacturam multò molestiùs fero, quàm alia damna, ac incommoda, quæ multa, & summa, aliquot ab hinc annis accepi, & passus sum. Quem sanè locum aptissimè exscripsit præstantissimus in Anatome, atque in omni Re Medica, & Chirurgica Vir Marcus [a] Aurelius Severinus. Is enim in epistola ad Petrum Mactam Medicum Romanum, Eustachii nostri tanta cum laude meminit, ut asserere non dubitaverit se compertum habere *ab hoc primùm homine fluxisse morem in Urbis Nosocomia dissecandorum Cadaverum morbidorum.*

Excipe igitur (doctissime Fantone) munusculum, quod primùm SANCTISSIMO PATRI debemus, deinde etiam humanissimo viro D. Paulo Andreæ de Rubeis Metropolitanæ Urbini Ecclesiæ Canonico, qui unus ex Pinorum hæredibus, illud Summo Pontifici demississimè obtulit, à quo tantum decus, Bibliotheca nostra mutuata est. Hoc autem eò magis Tibi non ingratum fore confidimus, quòd tuæ in nos benevolentiæ testimonia habeamus locupletissima. Vale.

Datum Romæ kal. Februari M DCC XIII.

Hæc sunt tum Eustachii, tum Tabularum ejus merita, de quibus, Erudite Lector, admonere te in animum induxi. Nunc verò cum Tabulis eas accipe notas, quas ego, ut plurimorum desiderio satisfacerem, inter varias, nec porrò exigui momenti occupationes, conscripsi. Et quoniam, ne frequens locorum obscuritas me in errorem duceret, sæpe, maximèque sum veritus; idcirco in laboris honesti societatem vocavi D. *Antonium Pacchionum Medicum Romanum, & in rebus potissimùm anatomicis apprimè versatum, quocum singulas Tabulas iterum ad examen revocare non detrectavi; atque ubi vel minimus scrupulus (quod interdum accidit) nobis injectus est, statim imaginem cum archetypo, nempe iconem cum dissecto cadaveris membro contulimus, & comparavimus: in partem quoque diligentiæ, curæque accito Francisco Soldato, Juvene quidem Medicis studiis, cadaverumque sectionibus magnopere exercito. Neque verò, quum opportunum censuimus, per epistolas quoque in consilium admittere prætermisimus eximios Viros Joannem Fantonum,* [b] *& Joannem Baptistam Morgagnum nostræ ætatis in Italia experientissimos Anatomicos. Hinc confidimus fore, ut non pauca, pulchra simul, & nova, ex abscondito, & intacto huc usque Eustachiano hoc thesauro in lucem proferantur. Et quanquam ipse in edendo hoc opere sim hæsitantior, ne scilicet multa inchoata solùm, ac rudia, imò fortè perperam ex Commentariolis meis excidisse quis opinetur; illum tamen velim præsentibus frui, & meliora in posterum præstolari: nam non obscura spes nobis affulget, fore, ut inveniantur notationes, quas procul dubio idemmet Eustachius exaravit; si nimirum* BENEFICENTISSIMUS PONTIFEX, *quam in eruendis Tabulis jussit, in perquirendis etiam Autoris scriptis jubeat diligentiam adhiberi: ita enim opus cunctis numeris absolutum, perfectumque constabit, atque in omnem posteritatem duraturum. Vale.*

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMOQUE VIRO

JO. MARIÆ LANCISIO

Archiatro, & ab Intimo Cubiculo SS. PONTIFICIS.

JOANNES FANTONUS S. P. D.

SI ego unquam, Vir Amplissime, Librum Anatomicum accepi, & perlustravi libentissimè, hic sanè est, quem tua humanitate ad me missum nunc præ manibus habeo. Magna semper de Eustachii Operibus existimatio mea fuit; sed vicit omnino expectationem meam hoc Tabularum Anatomicarum volumen elegantissimum: quas quidem Tabulas nemo, ut opinor, inspiciet, quin tanti Viri ingenium, peritiam, diligentiamque admiretur. Novum aliquid prodiisse in lucem, vel passim prodire Recentiorum industria, & labore mirum non est, quum à seculo, & quod excurrit, tot insignium Virorum opera in Anatomicum studium conversa sit, tantaque accesserit Instrumentorum suppellex, quæ in perscrutanda Hominis, & Animalium fabrica maximo adjumento fuerunt. Sed unum tam rudi, incultaque ætate Eustachium ignota coævis, & à multis simul posteris vix adhuc animadversa, detexisse primùm incredibili solertia, atque incidi eximia sedulitate curavisse, tam magnum est, & admirabile, ut nihil majus esse, &

a *In Epist. M.SS., quæ inter alias asservantur in publica nostra Bibliotheca.*
b *Legantur utriusque Viri Epistolæ, quas subnectimus.*

& ſpectabilius videatur. Præ cæteris mirificè placuerunt Cerebri, Nervorumque Icones, in quibus Williſium, atque Ridleyum Euſtachius antevertit. Utinam Scriptorum Rei Anatomicæ rigidiſſimus cenſor Riolanus reviviſceret! Quanta, mehercle, viri lætitia foret! Qua voce, quo plauſu Theſaurum hunc exciperet! Quas Tibi grates pro tanto munere rependeret! Amici mei, rerumque Anatomicarum ſtudioſiſſimi Viri, quibus inventum tuum brevi promulgandum ſignificavi, gratulantur omnes, cuique majores habere gratias debeant, vix ſciunt. Promiſcuè ab iis Euſtachium commendari, atque Lanciſium intelligo. Aureum ſanè, non æreum moriens Euſtachius monumentum reliquit: ſed perpetim fortaſſe latuiſſet, ni è tenebris eruiſſes. Fulgentem ſpectare Planetam, poſteaquam fuerit diutiſſimè occultatus, lætari omnino conſuevimus; atque aura, quæ nubes aliquandò diſcuſſit, ita nos recreat, ut lumine ipſo charior ferè videatur. Me verò hallucinari non parum in hoc comparationis luſu animadverto. Nihil auræ beneficio adjicitur Soli: Tu lumini lumen impertis. Nemo etenim, ut ajebam, Euſtachianas Tabulas ſine admiratione inſpexerit: ſed ſi nudæ prodiiſſent, vix peritiores ex earum aſpectu, præſentiaque proficere potuiſſent. Tua interpretando, eaſdemque explicando ſolertia, tuuſque incredibilis labor iis maximè probabitur, qui rejectis luculentis, quibus Tabulas exornaſti, Annotationibus, curam deſcribendi, explicandique ſingula in ſe recipere pro tentamine voluerint.

Quid modò dicam, Vir Ampliſſime, de Pontificis Maximi benignitate? quid de excelſo animo, deque ſingulari Sanctitatis Suæ ſtudio in locupletanda, ornandaque Bibliotheca, quæ tuæ virtutis, munificentiæ, doctrinæque æternum erit monumentum? Tantæ ſpecimen beneficentiæ, tum cætera omnia, quæ Summus Princeps in commune Literariæ Reipublicæ commodum piiſſimè, præclariſſimèque geſſit, ampliſſima forent oratione enarranda. Hoc autem tuæ dignitati, tuo amori, tuæ gratitudini, tuæque eloquentiæ munus fortunatiſsimum relinquo. Quod ad me pertinet illud eſt præcipuum, ut Tibi grates habeam de eximio munere, quod mihi profectò longè majori in pretio eſt, quàm ea fuerunt auro, & gemmis fulgentia munera, quæ ſuperioribus à Te annis accepi. Vale.

Auguſtæ Taurinorum kal. Junii *M DCC XIII.*

AD ILLUSTRISSIMUM, ET CELEBERRIMUM VIRUM

D. JO. MARIAM LANCISIUM

Intimum Cubicularium, & Archiatrum Pontificium

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI

EPISTOLA.

Vel triginta octo Tabularum conſpectu, quas ab Euſtachio olim promiſſas, nunc verò poſt multorum irritas perquiſitiones, CLEMENTIS XI. Pontif. Max. Beneficio à tua ſolertia demum repertas, ad me (quæ tua eſt humanitas) mittis, vel quòd eas tuis auctas, ornataſque Annotationibus exituras eſſe, ſcribis in Bibliothecæ, quam ſelectiſsimorum voluminum copia in publicum commodum inſtruxiſti, imminente ſub proximas kalendas dedicatione, magno me, Doctiſsime Lanciſi, gaudio, & incredibili quadam voluptate perfundis. Quòd autem addis, cupere Te vehementer, ut quæ in his Tabulis propria Euſtachii, & peculiaria (ſint licèt ab aliis poſt ipſum prodita) extare cognovero, de his omnibus Te diligenter, nullaque interpoſita mora certiorem faciam, utrum difficilius ſit negare, an efficere, multùm dubito. Nam & negare ei, quem plurimùm colam, cuique me obſtrictiſsimum eſſe, confitear, ea præſertim cupienti, quæ, ſicuti ad Hiſtoriæ Anatomes ex hiſce Tabulis illuſtrationem, ita ad beneficii celebrationem pertineant, per ſe collati in publicum ab eo Principe, cujus non modò geminæ ampliſsimæque poteſtati, ſed & ſummæ erga me, meoſque omnes beneficentiæ longè plùs debeam, quàm hominem homini debere fas ſit, durum id mihi, & quod nequaquam poſsim, videtur: & id ſuſcipere in his temporis anguſtiis, atque in his tot, & domi urgentibus, & in publico impendentibus occupationibus, quod intra juſtum tempus, & otio affluens pro dignitate præſtare non poſſem, & præterea

quæ

quæ hujus, aut illius Anatomici inventa creduntur, ea ad Euſtachium referre aggredi, hoc verò perdifficile eſſe ſentio, eique maximè, qui, quum non poſsit prodeſſe omnibus, neminem ſaltem velit offendere, quique, ut jamdiu noſti, haud mediocriter vereatur,

Laudes Egregii Principis, & tuas
Culpâ deterere ingenj.

Quoniam tamen ſapienti cuique homini pulchrum potiùs, atque optandum videri debet, eadem quæ Euſtachius, ſublata omni plagii ſuſpicione, obſervaſſe, ac cum tanto Anatomico diviſam inventionis gloriam habere; & quoniam veſtrum, Lanciſi Ornatiſſime, beneficium, ſi, qui dignè poſſunt, his ſolis celebrare liceat, timendum eſt, ne, quod ab omnibus laudandum eſſet, id nullum habeat laudatorem; idcirco ſtatim, ut jubes, morem gero; non omnia, quæ aliàs poſſem, ſed præcipua eorum, quæ haſce Tabulas inſpicienti in mentem nunc veniunt, ad Te ſcribens, nullam aliam habitura gratiam, niſi celeritatis.

Sed antequam incipio, quo tempore, & in quem potiſsimùm finem hæ fuerint Tabulæ æri inciſæ, conſtituere neceſſe eſt. Hæc enim duo non modò ad eaſdem intelligendas, verùm etiam ad ea, quæ in ipſis peculiaria Euſtachii ſunt (ſicut Tu cupis) dignoſcenda plurimùm adjuvant. Igitur quicunque ſunt in ejus Opuſculorum lectione verſati, ii certè non ignorant, id ſibi Euſtachium in omni ſive hominum, ſive brutorum diſſectione præ cæteris propoſuiſſe, ut oſtenderet, magis in Galeni Accuſatores, quàm in Galenum ipſum reprehenſionem cadere, eo maximè tempore pervulgatam, quòd non hominis, ſed brutorum anatomicam deſcriptionem tradidiſſet. Nimirum tunc omnium manibus terebantur Andreæ Veſalii de humani Corporis fabrica libri, accuſationem illam tertio quoque verbo non ſine acrimonia ingeminantes; & in iis propoſitæ & deſcriptiones, & Tabulæ, ut eleganter traditæ, & affabrè delineatæ, ſic paſſim diligenter quoque, & fideliter ad humani corporis normam exactæ judicabantur. Etſi verò poſt annos circiter viginti, ex quo Veſalii Tabulæ prodire cœperunt, extitit Romæ Realdus Columbus, qui nonnullos in eo ipſo, quod memoravimus, genere Veſalii errores in ſuis libris de Re Anatomica reprehendit, & paulò pòſt Gabriel Falloppius, Gymnaſii hujus noſtri decus, & lumen, edito aureolo Obſervationum Anatomicarum libello multò plura Veſalii errata deprehendit; ab neutro tamen eorum ullæ Tabulæ editæ ſunt, quæ pro fallacibus illius Tabulis ſufficerentur. Quæ quum ita ſint, quæcumque in Veſalii Tabulis, aut deſiderata, aut perperam efficta, in his Euſtachii Tabulis addita, & emendata inveniemus, primæ horum omnium delineationis honorem eſſe ad Euſtachium referendum, neminem puto negaturum, ut qui duobus poſt Falloppium annis, atque adeo ante novas cujuſque Tabulas teſtatus eſt in Opuſculorum Anatomicorum Præfatione has ſuas editioni paratas habere.

An verò, ut delineationis, ſic quoque inventionis eorum omnium primam liceat Euſtachio gloriam adjudicare, diligentiùs eſt inquirendum. Non enim propterea quia duobus, ut dictum eſt, poſt Falloppium annis teſtatus ſit, ſe ſuas Tabulas abſolviſſe, continuò credendum eſt, non abſolviſſe multò antea & illas, & Anatomica Scripta, ſive edita, ſive adhuc deſiderata. Nam, quo anno Falloppius Obſervationes edidit, eodem Pinus ad librum de Renibus Annotationes colligebat, & ſcripſiſſe Euſtachium *non modò de Renibus, verùm etiam de cæteris aliis humani Corporis partibus* aſſerebat; ut in ejus ad Lectorem Epiſtola, & initio ſtatim Annotationum habemus. Præterea examen Oſsium, eique adnexum de motu Capitis Opuſculum, eo tempore fuiſſe perſcripta, quo needum Falloppii Obſervationes videre Euſtachius potuiſſet, ex adſcripto die facilè colligitur. Sed quoniam Epiſtolam de Auditus Organis poſt Falloppii Obſervationes ſcriptam eſſe, non modò ex adſcripto item die, verùm quoque ex non uno ejus loco, de Stapede videlicet, ac de Cochlea, ſatis conſtat; in Libello autem de Dentibus (ut modò cap. 32. de Renibus prætermittam) atteſtante etiam Pino in Annotationibus, Falloppii ſententiæ nec ſemel, nec obſcurè impugnantur, & præterea Falloppius in Præfatione ad Obſervationes, has ante annos quatuor à ſe ſcriptas ad Petrum Mannam, teſtatur; his de cauſis unicè ad annum, quo Tabulæ ſunt æri inciſæ, inquirendum veniamus; nam & de his potiſſimùm quærimus, & ſi conſtabit, has ante ſcriptas à Falloppio Obſervationes fuiſſe paratas, plerorumque etiam quæ & Scriptis, & Tabulis communia ſunt, inventorum gloria Euſtachio aſſeretur.

Itaque mitto quod in Præfatione ad Opuſcula hic affirmat, *ſex & quadraginta Tabulas æreas multò priùs* ſe editurum fuiſſe, niſi ab ætate, valetudine, & fortunarum imbecillitate fuiſſet prohibitus. Mitto etiam quod in Præfatione ad ſuas in Erotianum

tianum Annotationes, & ad Libellum de Multitudine scribit, se suas *observationes, & inventiones anatomicas jam pridem ære incidendas mandavisse*; edere autem supersedere, quia nonnullos (idest Vesalium, ut liquet ex iis, quæ sequuntur) Opusculis *à se anno proximo superiore publicatis* vehementer audiverit commotos fuisse, ideoque se aliquandiu expectare, donec ipsi, siquid velint, rescribant; ne novas subinde appendices suis scriptis adjungat. Neque locum afferam ex Epistola de Auditus Organis, ubi de Stapedis inventore differens, se, inquit, neque edoctum, neque monitum ab aliquo, *multò antequam ipsi scribant*, id ossiculum novisse, Romæque non paucis ostendisse, *atque in æs incidendum curasse*. Qui autem id scripserat, ex collatis utriusque locis apparet, Falloppium fuisse in Observationibus, ubi negat, anno 1548. fuisse Romæ quemquam, qui Stapedis notitiam haberet. Igitur *multò ante* hunc annum altera saltem Tabularum, in quibus hoc Ossiculum ostenditur, fuisse videtur incisa. Locum potiùs afferam, in quo & de Tabulis nuper inventis, & de his quidem universim Eustachius ita loquatur, ut annum simul, quem quærimus, disertè prodat. Is, quantùm modò memini, unicus extat, in Libro de Renibus cap. 16. *Hujusmodi*, inquit, *dispensatio, unioque venarum* (nempe venæ sine pari cum emulgente altera, aut cum proxima aliqua vena) *qua ratione, quotve modis à me sit observata, Tabulæ huic tractationi annexæ* (idest octo, quas tunc edidit) *apertissimè ostendent*; *& nisi fallor, non secus eas inspicienti ante oculos ponent, ac si dissectioni nostræ interesset: in qua harum venarum consensum ita consuevi ostendere: quippe qui multis ante annis perspectus mihi sit, & cognitus, quemadmodum nostræ Anatomicæ Tabulæ* (idest hæ quæ sunt nunc inventæ, & in his XXVI. & XXVII., nam si easdem illas, de quibus modò dixerat, innuisset, non nostræ Anatomicæ, sed eædem Tabulæ dixisset; hæ igitur) *anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo ære incisæ patefaciunt*; *ut dicere audeam, non minùs memet mihi in ea, quàm præsentibus, spectantibusque omnibus satisfacere*. Esse autem has nuper inventas Tabulas multò ante illas octo æri incisas, petito ex XIII. Tabula argumento infra confirmabo. Si ergo anno 1552. hæ Tabulæ fuerunt incisæ, prima laus Eustachio deferri potest non tantùm delineationis, sed & inventionis eorum omnium, quæ in Vesalii supplementum, vel emendationem, ut in his Tabulis, ita in Falloppii Observationibus, immo & in Columbi libris, ad eundem modum occurrunt; ut quæ opera aliquot annos post illas Tabulas perfecta sunt, illæ quidem annis post quinque, hi verò ut minimùm tribus, ut ex Columbi ad Paulum IV. Pont. Max. Epistola colligo.

Quòd si aliquis ex Fallopii Præfatione argumentum capiat, nonnulla ejusdem inventa, ut ad quamplurimos, sic & ad Eustachium potuisse multò ante illius Observationum editionem permanare; ego quoque ex Eustachii Opusculo de vena sine pari Antigram. XI. argumentum vicissim capiam, nonnulla hujus inventa perferri ad Falloppium potuisse, per eorum videlicet sermones, aut scripta, quibus, ut Eustachius inquit, *studium erat aliorum inventa pro suis edere .... exploratoribus* (apud hunc) *etiam stipendio conductis*. Ad quem locum rectè intelligendum, haud scio, an juvet illud Antigramma conferre cum his, quæ in Falloppii Observationibus, & in harum examine à Vesalio edito, occasione Venæ sine pari narrantur: illud quidem scio, hunc Vesalii locum Fabricio ab Aquapendente è memoria excidisse, quum in Opusculo de Venarum Ostiolis *mirari se*, scripsit, *quomodo hæc ad suam usque ætatem tam priscos, quàm recentiores Anatomicos adeo latuissent, ut non solùm nulla prorsus mentio de ipsis facta esset, sed neque aliquis priùs hæc vidisset, quàm A. D.* 1574. Sed hæc obiter. Ad Eustachium nostrum redeamus: cujus, ut vides, Lancisi Ornatissime, ego gloriæ plurimùm faveo; ita tamen faveo; ut multa pro Falloppio nostro reponi posse, non diffitear: primùm quòd, quum nemo negare possit, ejus observationes anno 1561. prodiisse; num Eustachii Tabulis ante hoc tempus summa imposita fuerit manus, illi ipsi possunt in dubitationem vocare, quibus mecum illi credere placeat A. 1552. easdem incisas fuisse; deinde quòd ex Epistola Eustachii de Auditus Organis proclive sit conjicere quòd ab eo de Cochlea, & de canalibus semicircularibus in II. Figura XLV. Tabulæ pictum est, id post lectas Falloppii Observationes eidem Tabulæ, qua locus vacabat, adjectum esse. Verùm cætera mittamus, & tandem aliquando ad has Tabulas inspiciendas veniamus.

Quarum tres priores quoniam si quid habent, in quo moremur, id infra opportuniùs commemorabimus; idcirco has interim seponentes, ad XII. statim pergamus. In qua cæteris figuris prætermissis, iisque præsertim (ut semper) quæ in octo Tabulis vulgatis occurrunt, III. potissimum, atque VII. contemplemur. Igitur in III. & vesiculas seminales, & deferentium vasorum cum iisdem con-

conjunctionem, & duos feminis in capite, ut vocant, gallinaceo meatus, omnia perspicuè quidem, atque eleganter picta conspicimus, quæ sanè frustra in Vesalii Tabulis perquiruntur, ut qui has vesiculas primùm vidit in Falloppii observationibus descriptas. Cæterùm ad vesicularum sedem ostendendam ab anteriore quidem parte undecimam XI. Tabulæ Figuram, à postica autem VII. hujus Tabulæ Eustachius instituit. In qua præterea Figura eas vesicæ fibras monstrare voluit, quas cap. 19. de Renibus *conspicuas, crassas, ac ferè carneas*, dixit, *quæque adeo variæ quoquoversum distribuuntur, ut intuentibus multarum tunicarum speciem habere videantur*. Sed & in Tabulæ X. Figura I. exteriore pariter sublata ventriculi tunica, ita ejus circulares fibras ostenderat, ut Willisii industriam in Tabula III. ventriculi concinnanda præverterit.

In Tabula verò proxima XIII. illud primùm dissimulare non possum, vasis urinarii intra renem dexterum ramificationem tum dimensionibus, tum figura non ita ad verum accedere, ut quæ in pervulgata Tab. V. delineatur: ex quo nimirum in ea opinione confirmor, longè priùs has Tabulas esse incisas, quàm octo vulgatas: quarum si ejusdem V. Tabulæ Figura I. idem ostendi credis, quod XI. Tabulæ Figura X., hanc quoque multò rudiorem, atque adeo priorem esse confiteberis. Cæterùm & his ramificationibus, sive, ut alii vocant, pelvis tubulis, & renum canaliculis, & horum in papillas iis tubulis exceptas unione fuisse ab Eustachio & Bellinum, & Malpighium occupatos, non est opus hîc memorare. Illud potiùs addam; hæc eadem, quæ Eustachius, Falloppium quoque in Observationibus attigisse. Clitoridem verò, & ejus crura, atque musculos, quæ similiter Falloppius in eodem libro descripsit, primùm certè delineata, & in hac XIII. Tabula, & in sequenti conspicimus. Sed quod ad ligamenta uteri rotunda attinet, quæ Vesalius musculos, Falloppius autem processus nerveos esse docuerunt; Noster in hac Tabula non modò ab utroque diffidet, sed Swammerdamii nihil ferè aliud, nisi minutissimas arteriolas, & venulas illa esse tradentis, & Figuram, & explicationem prævenit, addens præterea ex cruralibus nonnullos ramusculos, ut & in sequentis Tabulæ Figura I., ad quam priusquam transeo, in hac XIII. illud denique observandum judico; vel spermaticorum, & hypogastricorum vasorum ad latera cervicis uteri unionem minimè Nostrum latuisse.

In Tabulæ XIV. Figura I. nequaquam partium exiguitas Eustachium prohibuit, quin se illud quoque scire satis ostenderet, ab ani sphinctere fibras per cunni latera deduci versùs hujus summam partem, atque clitoridem. In Figuris autem III., & IV. cùm ipsius caveæ uteri longè accuratior Figura observanda est, quàm ea, imò & consequentia tempora propemodum ferrent; tum verò in primis manifestum Tubæ Falloppianæ in uterum transitum spectare oportet. Figuræ autem ad fœtum, & ejus involucra pertinentes, collatis homine, & brutis, Vesalii in his rebus lapsum evidenter coarguunt.

Verùm his, aliisque prætermissis, rectà ad Tabulas XVII. & XVIII. veniamus. Et primùm in illius Figura II. præter medullaris substantiæ per cerebellum in arboris, & ramorum modum dispositionem, juvat observare duo saltem genera processuum cum cerebello commissorum, nempe & eos inferiores ex quibus Varolius postea à se primùm, ut credebat, animadversis spinalem medullam ex parte componi, monstravit, quod ex hac Tabula non latuisse Eustachium, constat; & eos superiores, qui à Testibus in cerebellum, ut Willisio videtur, protenduntur. Ad horum initium origo Patheticorum nervorum, de qua à Vesalio ignorata Falloppius quoque in observationibus locutus est, hîc evidenter conspicitur. Eam noster in examine ossium, antequam Falloppium legere potuisset, jam scripto, Fabio Amicio indicare voluerat, dum inter eorum commemorationem, quæ ut admirabilia ipsi ostenderat, *excitare*, inquit, *te nervi etiam debebant, nam ut mittam nunc illos, qui prope cerebri nates oriuntur* (nempe hos, quos hîc delineat, Patheticos) *& alios, qui juxta spinam procedunt, ac tres quoque propagines sexti jugi nervorum cerebri à medulla spinali principium sumentes* (quos porrò esse in sequenti Tabula delineatos, mox ostendam) *nonne soluto &c.* Denique in hac eadem II. Figura operæ pretium est observare, medullam spinalem, non ut à Vesalio semper magis, atque magis quò magis à calvaria recedit, attenuatam proponi, sed ibi crassiorem, atque pleniorem, unde magni artuum oriuntur nervi: quod item & à Falloppio animadversum, & ante hunc in Caroli Stephani libris pictum, nunc passim in accuratiorum Recentiorum figuris spectatur. Figuram verò IV. dum inspicimus, proderit ante oculos habere Anatomiæ Cerebri Clar. Ridley cap. 7., in quo plexum choroidem tradit *ab utroque latere esse duplicem, quod hactenus à nemine fuerat observatum*; ponit scilicet (ut hîc Eustachius, qui hæc ad posteriora reflexa pingit) alteram plexus partem à latere, alteram autem in medio instar latæ expansionis nates, & testes, & glandu-

lam pinealem obvolventem. Quod autem Ridleyus in eodem cap. præter venas à Willisio descriptas, duas semper se dicit reperisse *anterioribus* ejusdem plexus extremitatibus occurrentes, fortasse id est, quod in III. hujus Tabulæ figura monstratur. Figuram verò VI. Tabulæ XVII. si videre homines potuissent, quum Varolius suum de circumductione, seu reflexione Opticorum nervorum, & vera eorundem origine inventum proposuit, non id ad Fabricium ab Aquapendente pertinere, odiosè contendissent, sed Eustachio deberi, evidenter ostendissent.

Quid porrò, Lancisi doctissime, de Tabulæ XVIII. Figuris omnibus dicemus, in quibus nihil fere est, quod non nostra hæc potiùs, quàm Eustachii deceat tempora? Diligentiam sanè, qua sunt paratæ, accuratissimam vel minimæ res testantur, & in his duæ illæ, ut Willisius appellat, candicantes glandulæ pone infundibulum constitutæ, quæ in nulla harum quinque Figurarum desiderantur. In I. autem, & III. Figura (ut singulas consideremus) occurrunt illæ, quas suprà Eustachium vocasse diximus *tres propagines sexti jugi nervorum cerebri à medulla spinali principium sumentes*, nos verò juxta communes his temporibus appellationes, quas in hac Epistola retinemus, radices vocamus nervi Spinalis ad Par vagum accessorii: quem ante Willisium *jampridem* (inquit Ridleyus cap. 16.) observaverat, imò delineaverat, atque descripserat Vidus Vidius. Cæterùm ex his Eustachii Figuris & cui debeatur, & Vejussenium in prima ejus origine describenda magis quam Willisium, aut Ridleyum ad Eustachii observationes accedere, facilè colligitur: quis autem ad verum magis accedat, hîc quidem non judico. Ut verò mittam de nervorum, & in primis quinti paris ramificationibus, quæ in hac Tabula proponuntur, dicere; facere tamen non possum, ut in I. Figura prætercam non modò portionem duram Paris Auditorii à Vesalio ignoratam, sed & hujus primùm post inflexionem, quam in Aquæductu subit, cum chorda tympani à pari quinto proveniente unionem, & demum cum hoc eodem pari conjunctionem (de qua alii aliter) delineari, de quibus plerisque rebus ut Noster in Epistola de Auditus Organis verba fecerat, sic quod speciatim ad memoratæ chordæ originem, & finem attinet, multò quàm Falloppius diligentiùs proposuerat. Nunc missis cæteris, in Figuræ II. consideratione moremur. Et in ea nervos vulgò intercostales dictos inspiciamus, qui nescio an sint illi, qui ut suprà dictum est, *juxta spinam procedere* ab Eustachio admirabiliores suas observationes Amicio commemorante dicebantur. Nam etsi iidem nervi superioribus, & æqualibus Anatomicis non erant ignoti ad vertebrarum thoracis, & lumborum latera; ad latera tamen vertebrarum cervicis eosdem Vesalius videre non potuerat; itaque ceu ab octavo pari infra cervicem enatos proposuerat. Ipse autem Falloppius etsi videtur, ubi olivare suum corpus, sive plexum describit, aliquam majorem gemini prædicti nervi habuisse notitiam, non tamen ejus veram cognovit originem. Imò Willisius in Nervorum descriptione cap. 5. *Origo*, inquit, *ejus nondum satis detecta fuit; nam à plerisque Anatomicis pro ramo paris vagi perperam sumitur*. Hæc autem origo ex ea saltem parte, quæ ad nervum sexti paris attinet, manifestissimè in hac Figura II. demonstrata est. In qua præterea & plexus plures, & origines, ac distributiones nervorum observantur; quas sanè res non dico ex Vesalii solùm Tabulis, sed & aliorum, qui sunt illum ad recentiorum usque tempora consecuti, partim nullo modo, partim non satis licebat addiscere. Quæ sigillatim recensere nunc mitto, quoniam sentio, in his duabus Tabulis considerandis (quæ alioquin omnium videntur consideratione dignissimæ) aliquanto, quàm vellem, me prolixiorem fuisse.

Sed vicissim breviorem multa esse me cogunt in sequentibus usque ad XXXVIII. Tabulis considerandis; primùm quòd in earum aliis nulla quidem nunc occurrunt ita digna consideratione; deinde quòd de aliis, & nominatim de illis duodecim, quæ musculos exhibent, Te minùs solicitum esse, scribis: denique quòd earum aliqua haud pauca habet, quæ in octo jamdiu editis Tabulis etiam sunt. Attamen, ut intelligas has quoque, de quibus nunc loquor, Tabulas me inspexisse, pauca in paucis considerabo. Igitur in Tabulæ XXVII. Figuris II., & IV. ex mutuæ vasorum mesaraicorum ad modum arcuum communicationes ita perspicuè, & eleganter expressæ, ut nunquam meminerim meliùs, satis testantur Eustachii in his quoque vasis exercitationem, quam in Antigram. 8. de Vena sine pari subindicaverat. Ad ea autem, quæ in pluribus suorum Opusculorum locis de nonnullarum venarum, & in primis venæ sine pari distributione, variisque communicationibus tradidit, faciliùs intelligenda, & nonnullæ hujus Tabulæ Figuræ, quæ in octo prioribus Tabulis aut nullo modo, aut ob loci angustias decurtatæ proponuntur, & ipsa quoque superior Tabula XXVI. vehementer utiles sunt.

In Tabula autem XXIX. primus omnium Eu-

Eustachius Occipitales musculos pinxit, ut quos Falloppius à reliquis omnibus Anatomicis scribit esse prætermissos. Eosdem quoque pingit in XXXI. XXXII. & XXXIV., in quibus, ut et in XXX. musculos præterea exhibet, qui supra, & qui pone auriculam sunt constituti, de quibus Falloppius idem pariter animadvertit.

Tabula XXXV. Mastoidæos musculos, & duplicem singulos habere originem, & sic in duos utrinque dividi posse, ut Eustachius adversùs Vesalium in Opusculo de Motu Capitis scripserat, dilucidè ostendit; quemadmodum ea, quæ adversùs eundem de duobus Capitis musculis, quos complexos vocant, in proximis superioribus periodis attulerat, à Tabula XXXVII. confirmantur. In qua Tabula exiguus ille, qui ex anteriore ani ora dependet, musculus num is sit, qui musculus urethræ sine pari à nonnullis Recentioribus appellatur, alii viderint.

Porrò Tabula XXXVIII. præterquam quòd de musculis intercostalibus interioribus illud ostendit, quod Eustachius Antigrammate ultimo de vena sine pari indicavit, quòd scilicet, *ad radices costarum non pertingant*, si cum Tabulæ XLI. Figuris VIII. & XIII., ut par est, conjungatur, ea præsertim demonstrat, quæ de duplici utrinque musculo, quem Longum Colli vocitant, hujusque in caput implantatione, & de duobus præterea vel tribus prætermissis à Vesalio Musculorum paribus, quæ caput movent, post nuper indicatum Opusculi de Motu Capitis locum ab Eustachio tradita fuerunt. Quæ quidem omnia unà cum his Tabulis, unàque cum illis, quæ paulò supra de capitis, & primarum vertebrarum ligamentis docuerat, conferri diligenter velim cum iis, quæ de duobus earundem partium ligamentis, & de quinque paribus musculorum diversis capitis motibus inservientibus à Dupræo Chirurgo Gallo proposita sunt, quorum summa unà cum Epicrisi, & quasi Vindiciis Cl. Cowperii, & Figuris utriusque in Actis Eruditorum Lipsiensibus A. 1699. exhibetur. Sic enim scio fore, ut nonnulla ex iis, quæ ibi, ut ignota omnibus sunt proposita, Eustachium non latuisse intelligatur.

Tabulæ XXXIX. inferiores Figuræ primum omnium Eustachium emendavisse testantur id quod à Vesalio in oculorum musculis ostendendis peccatum fuerat.

In XL. autem Tabulà ea inprimis exhibentur, quæ Eustachius in Examine Ossium à se præstita commemorabat. *Nonne*, inquit, *soluto priùs oculo in singulas sui membranas, quod vix animus capere potest, foramen nervi visorii Tibi, & aliis, vel multis reclamantibus, ante oculos sexcenties exposui?* Ostenditur quoque id quod in Libri de Multitudine cap. 32. affirmaverat, nempe venas, & arterias *à cerebro per intimiorem nervi visorii substantiam trajici, ac inde in retinam oculi tunicam dispensari; tum accuratam sectionem, tum firmam rationem ostendere*. Illud præterea in Figuris II. III. VI. XI. observandum est, vasa per choroidem, non ut in retina anteriora versùs, sed posteriora versùs prorepentia, & fibrosam ipsius choroidis structuram monstrari.

Sed ad Tabulas XLI. & XLII. transeamus, in quarum plerisque Figuris inspiciendis dicere non possum, Lancisi Ornatissime, quantam ceperim voluptatem; dum & eorum, quæ in pristinam in Anatomica historia sedem restituere, & eorum, quæ inter diversas Anatomicorum descriptiones seligere ante hos septem annos in meis primis Adversariis Anatomicis conatus sum; in quæcunque, inquam, eorum in duabus hisce Tabulis Eustachius incidit, idem mecum vel de rerum dignitate, vel de historiæ selectu censuisse evidenter intelligo. Atque utinam per magnarum rerum tunc adhuc inveniendarum copiam, & quarum magnam ipse partem detexit, ad ea descendere tam accurato Anatomico licuisset, quæ nobis quasi ex magna messe perpaucæ spicæ, non neglectæ quidem, sed elapsæ, improboque adeo labore raris, & plerunque abstrusis in locis legendæ relicta sunt: profectò non dubito, quin ex iis quoque, quæ à me non tanquam restituta, aut selecta, sed ut primùm inventa proposita sunt, plura essent, quorum inventionis divisam cum tanto Anatomico gloriam haberem. Nunc ex his, quæ deprehendisse visus sum, unum ex omnibus, & levius quidem, est illud, quod de veris hyothyroidum, & sternothyroidum musculorum terminis monui; quos passim ferè ut in Vesalii Figura, in Tabula XLII. num.30. ab Eustachio, ut cum suis conferri posset, allata, pictos descriptosque animadverteram. Itaque meam & descriptionem, & Figuram cum Eustachii V. & XII. in Tabula XLI. satis convenire, vehementer gaudeo. Quum autem mihi, & cricoidis cartilaginis capitula, & medium epiglottidis ligamentum, & præsertim laryngis ventriculos, de quibus passim Recentiores silebant, & observare contigisset, & restituere placuisset; mirum nunc in modum gaudeo, à gravissimo hoc Anatomico nihil horum esse prætermissum, ut qui prima in VII. XLII. Tabulæ, alterum in V. facilè adumbrat: ventriculi autem dexteri orificium cer-

certè in XI. Figura demonstrat. Quumque pariter inter diversas Anatomicorum sententias, & circa epiglottidis musculos depressores, & circa cricoarytænoidæorum posticorum ortum, atque tendentiam, & circa arytænoidæorum structuram, & in primis circa Thyroidææ glandulæ duplicitatem id mihi seligendum visum esset, quod dissectiones propriæ docuissent; admodum lætor, Eustachium mecum facere, qui in XLII. Tabulæ Figura I. nullos epiglottidis depressores agnoscat, qui in eadem, & in II. cricoarytænoidæos, & arytænoidæos juxta meam descriptionem delineet; quique demum in V. & VIII. Figura XLI. Tabulæ, non modò unam mecum thyroidæam proponat, sed in cunctis ejus conditionibus ita conveniat, ut ne illam quidem appendicem omittat, quam ab ea sursum per thyroidis faciem persæpe protendi adnotaveram. Ad quas Eustachii figuras, suas, si adhuc viverent, emendare illi demum possent, qui ad meas emendare neglexerunt: quanquam plura, etiam ubi maximè dissimulant, à me sumpserint, & plura ad mea Adversaria emendaverint; ut eorum Anatomiæ utramque editionem conferentibus planum erit, quæ utinam semper bene intellexissent. Sed nolo cum umbris hominum, præsertim & laude alioquin dignorum, & mihi non omnino ingratorum luctari. Itaque præstat in his ipsis V., & VIII. Eustachii figuris, quemadmodum & in XI. illud præterea observare, ut Vesalii in linguæ musculis defectus egregiè emendetur; utque præterea in sequentis Tabulæ Figura V. linguæ glandulæ, sicut in hujus VIII. nonnullæ tracheæ glandulæ non omittantur. Porrò si Cl. amicissimoque Valsalvæ & XI. & XIV. hujus Tabulæ Figuras, & præterea IV. & VI. sequentis Tabulæ cum laudatissimis suis V. & VI. Tabulis comparare placuerit, non dubito, quin sicut intelligat, præcipuum in his suum Uvulæ, & Pharyngis continuitatis inventum Eustachio ipsi ignotum fuisse, ita agnoscat lubens, nonnulla tamen ex reliquis eundem quoque non omnino latuisse; illam verò, quæ à me in Epistola ad ipsum data restituta ex Falloppio est, Stylopharyngæi musculi in cornua ossis hyoidis, & in supernam oram cartilaginis scutiformis implantationem in XLI. Tabulæ Figura XI. subindicari.

Porrò quæ in proximis Tabulis ad sceletorum pedes ex organo auditus ostenduntur, eorum ab Eustachio nonnulla inventa, ferè omnia primùm fuerunt delineata. Cæterùm in sceleto Tabulæ XLIII. *contextus ille elegantissimus, quem spuriarum costarum cartilagines invicem efficiunt*, quemque à Vesalio *oscitanter prætermitti* Eustachius dixerat in Ossium Examine, conspici potest. Hic ipse est, quem, quanvis passim ab aliis omissum, Verheyenus in altera Anatomiæ suæ editione diligenter memoravit, atque depinxit. Illud quoque in sceleto hujus, & proximarum Tabularum observatione dignum, est, quòd os sacrum, non ut à Vesalio, sex partibus constans, & quinque antè, & retro foraminibus utrinque pertusum pingitur; sed quinque costans partibus, & quatuor utrinque foraminibus pervium; quale scilicet *magna ex parte in hominibus esse solet*, ut in eodem Opusculo animadvertit Eustachius. Hæc tamen, & ille, quem modò diximus, cartilaginum contextus in Tabulis etiam Caroli Stephani utcunque rudibus, & antiquis occurrunt.

De his tandem, quæ sunt postremæ, duabus Tabulis, illud primùm in universum censemus, plerasque earum Figuras, ut & XIII. Tabulæ XLI. iis potissimùm illustrandis inservire, quæ in memorato nuper Opusculo pro Galeno contra Vesalium ab Nostro afferuntur: quod (ut cætera prætermittam) primo statim aspectu in ultima quidem Tabula Figura XVIII. tresque illi proximæ satis monstrant; in quibus illæ, quæ in eodem Libello traduntur ossium sterni, ejusque cartilaginis varietates accuratè exhibentur: in Tabula autem XLVI. idem plures illæ, dissimilesque calvariæ attestantur. In quarum porrò plerisque observo peculiare illud Foraminulum pro Vena, à Falloppio cum duræ matris sinubus egregiè descripta, quam nunc Occipitalem rectè appellant, non desiderari.

Hæc habebam, de quibus Te, Vir Doctissime, statim, ut jussisti, certiorem facerem, Sus, ut ajunt, Minervam. Erant præterea in his Tabulis dubia quædam, & subobscura, de quibus aliquid scribere fortasse poteram, sed nolui divinare. De his verò, atque aliis, quæ aut scientes prætermisimus, aut fortè etiam in his tantis angustiis temporis haud satis vidimus, fortasse olim, si quid otii dabitur, in ea quam concepimus, Anatomicorum Inventorum Historia scribemus. Quam quoniam ea scripta Eustachii adjuvare plurimùm possent, quæ adhuc latent; oro Te, obtestorque, ut, sicuti has Tabulas, ita et ea scripta è latebris eruere, atque producere aggrediaris. Ea nanque Eustachius quum in Opusculorum Præfatione *propediem se esse editurum* promisisset; anno proximo in Præfatione ad suas in Erotianum Annotationes, & in Libellum de Multitudine, *parata esse*, & in ejusdem Libelli cap. 15. *jam absoluta esse* indicavit. Quæ verò de ipsis, deque

deque sua in illis diligentia speranda essent, cùm iisdem in locis, tum in Præfatione ad Opuscula docuit, his *multò* illa *utiliora* pronunciare non dubitans Magnitudinem quoque Operis eodem in loco satis ostendit, dum *ne tantum opus multò priùs aggrederetur ad imprimendum, à fortunarum suarum imbecillitate se deterritum* scribit; quod sanè de Tabulis potissimùm non esse accipiendum, illud probat, quod ostendimus jam ante annos decem illas æri incisas fuisse. Quanquam & ejus Operis magnitudinem, & servatam in eo scribendi rationem ex eo quoque æstimare licet, quod ea Syngrammata, & Antigrammata, quæ de duabus tantùm venis, sine pari, & profunda brachii, edidit, non pauca quidem, sed parvam tamen, si reliquis omnibus respondere debent corporis partibus, totius Anatomes particulam, ea, inquam, *ex eo libro, quem de dissensionibus anatomicis scripserat accepisse se*, dicit in ea, quam illis præfixit, Epistola. Eum autem librum illa ipsa scripta esse, quæ nunc quærimus, memorati superiùs loci apertè significant. Neque aliquis credat nihil in iis scriptis contineri, quod ab his Tabulis, quæ unà videlicet prodire debebant, non ostendatur. Non enim his Tabulis omnia Eustachium complexum esse, quæ *ex infinitorum penè hominum, atque animantium* sectione didicerat, multa indicio esse possunt. In quanam earum, quæso, extat *mirum* illud *naturæ artificium, ab aliis Anatomicis* (*quod sciret*) *minimè animadversum, in plerisque duræ cerebri membranæ sinubus* ipsi notum, ut innuit cap. 14. lib. de Multitudine? In quanam satis extant *quædam corpora permixta, in multis animalis partibus, præsertim verò in cruribus occurrentia, quæ in aliquot nervorum, venarum, atque arteriarum surculos, detracta membrana eos succingente, facilè solvuntur*, quæ à se *in gratiam Galeni publicè ostensa* ibidem scribit cap. 32.? In quanam *innummerabiles penè nervorum propagines; quæ quidem ut visum sibi esse*, ibidem dicit cap. 33. *in corporibus secandis observasse, in cutem non ita frequenter inseruntur, ut quispiam fortasse arbitratur, sed ut plurimùm in tenuissimas fibras dissectæ, adipis substantia terminantur*? Quænam porrò Tabula satis monstrat quæ *de duplici peritonæo, & de vasorum seminalium in scrotum ingressu* (longè aliter profectò atque Vesalius) *docuisse se* dicit in Ossium examine? Quænam denique, ut alia nunc omittam, aut *nervum visorium in eo animali* (quod Malpighius postea manifestavit) *in innumeras rugas complicatum, & incisa tunicula ambiente in amplam membranam totum explicatum*, aut thoracicum ductum luculenter in equo descriptum Antigram. 13. de vena sine pari; quænam, inquam, Tabula (nam quædam earum etiam ex brutis nonnulla exhibent) hæc ostendit? Est ergo sperandum, si ea scripta tandem aliquando proferantur in lucem, multa alia in iis inveniri posse, quæ hæ Tabulæ non complectantur. Quæ quum ita sint, Optime Lancisi, perge porrò, & quod præclarè cœpisti, feliciter perfice. Apud eosdem Pini hæredes quemadmodum Tabulæ delitescebant, ita quoque hæc Scripta latere posse conjicio. Fuit enim ab Eustachio Pinus ita *in societatem laborum* vocatus, ut aliqua ex parte, quæ in iis etiam Scriptis consignatæ erant, Observationes ad ipsum pertinerent. Itaque Pinus ut in Epistola suo in Hippocratem præmissa Indici eas Tabulas (quemadmodum solertissimè observasti) promittere potuit, quasi ut suas; sic in Annotationibus ad cap. 1. Libri de Renibus, vivente, & vidente Eustachio; *nonnulla de renum sinubus à nobis animadversa*; apertè scribere non dubitavit. Sed sive hæc, sive alia placeat inquirendi via, quæ Tibi & spectatæ solertiæ, & non vulgaris eruditionis Viro vel multiplex deesse non potest, noli, quæso, in aliud tempus differre; sed quo die tuo, atque adeo meo CLEMENTISSIMO DOMINO tuam istam novam Bibliothecam ingredienti Eustachii Tabulas offeres tuis Adnotationibus exornatas, ne dubita commune hoc alterum Literatorum hominum votum pro ea, qua eosdem, & Literas, Literatissimus ipse respicit, dignatione, & pro ea, qua tu polles & gratia, & eloquentia, aperire. Ego, si Nostrum novi DOMINUM, spe bona, certaque sum plenus, ultrò ipsum sua auspicia, & autoritatem esse iterum promissurum. Quibus, si, ut nuper in Tabulis, ita nunc in Eustachii Scriptis inveniendis feliciter, sicut voveo, uteris; non plus ille, dum viveret aut Divo Cardinali Borronæo, qui *suo favore non indignum putabat*, aut Amplissimo Urbini Cardinali, *cui inserviebat, & cujus domi alebatur*, non plus, inquam, vivens illis debuit, quàm SANCTISSIMO PONTIFICI, & ejusdem Præstantissimæ Urbis decori maximo, atque immortali, nunc mortuus erit debiturus. Vale.

Datum Patavii XIII. kal. Novembris MDCCXIII.

CLA-

CLARISSIMO, DOCTISSIMOQUE VIRO

D. JO. BAPTISTÆ MORGAGNO

In Patavino Lyceo Medico Professori Celeberrimo

JO. MARIA LANCISIUS S.P.D.

SI unquam aliàs gratæ ab amicis, optatæque literæ redditæ sunt, gratissimas profectò abs Te superioribus diebus accepi; quippe quæ luculentissimas animadversiones ad nuper inventas Eustachii Tabulas secum attulerunt. Ac licèt jampridem sedulam, pro mea virili parte, operam impenderim legendis hujus Scriptoris tum Anatomicis Opusculis, & Annotationibus ad Erotianum, tum Libello de Multitudine, imò etiam in ejusdem Eustachii Opuscula Annotationibus à Matthæo Pino collectis, in quibus sanè omnibus non pauca sparsim deprehendi harum Tabularum documenta; est tamen quod ingenuè fatear, Epistolam hanc tuam obscuris quibusdam locis facem mihi prætulisse; præsertim verò, quum egregiè probare adniteris, Eustachium non modò sæpe, quod notissimum est, Vesalium castigasse, sed tale, tantumque studium cùm in veris perquirendis partium *infinitorum penè animalium* structura, & officiis, tùm in Tabularum delineatione adhibuisse, ut omnium sui temporis Anatomicorum conatus ita facilè superaverit, ut nemo aut eidem inventorum suorum palmam præripere, aut de gloria delineationis possit cum illo contendere; præsertim quum idem Scriptor decennio antè, quàm sua Opuscula edidisset, tentata jam haberet experimenta, paratasque animadversiones, & Tabulas Anatomici sui operis; ac perspicuum propterea evadat coævorum Anatomicorum labores prævertisse: cujus rei publicum, gravissimumque testimonium nobis impertitur Amatus Lusitanus, qui suarum Curationum Centuria V.[a], quam collegit anno 1555. de ipso Eustachio contra Vesalium scriptum reliquit. *Nobiscum hac in re est Bartholomæus Eustachius Ducis Urbinatis Medicus: qui ita rem haberi per literas è Roma mihi significavit: ut prope diem docto, & eleganti libro suo de Anatomia in lucem futuro, omnibus palàm faciet.* Sed quid alio opus est testimonio, ubi idemmet Eustachius (ut Tu pariter sedulò animadvertisti) in Opusculo de Renibus pag. mihi 68. nuper inventas Tabulas jam *Anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo æri incisas* se habuisse fatetur.

Itaque notas meas eò nunc alacriùs in publicum emittam, quòd magis illas autoritate tua videam confirmatas. Nec dubito, quin Tibi immortales gratiæ ab universa literaria republica habendæ sint, qui tuis etiam doctissimis annotationibus Eustachii Tabulas immortalitate donaveris; nec debitas SANCTISSIMO PATRI, omnis literaturæ Summo Auspici, & Mœcenati, laudes reticueris; quas quum BEATISSIMI PRINCIPIS oculis subjecissem, benignè pollicitus est, Autoritatis suæ vires omnes, & operam se in Eustachii Scriptis inquirendis diligenter collocaturum.

Cæterùm plurimas Tibi gratias ago, quòd ad officia erga me paratissimus tam citò, tam multa, tam egregia, & solida rescripseris. Certè nostra semper, quàm aliorum de tuis commentariis major erit admiratio. Nam cæteri quàm bene, & quàm emendatè scribas apertè cognoscunt; nos etiam quàm facilè, & quàm celeriter abstrusissima quæque soleas explanare. Vale.

Datum Romæ Prid. Kalen. Novembris M DCC XIII.

FRAN-

a *Curat. 60. pag. 528.*

FRANCISCI SOLDATI
CANDIDO LECTORI
MONITA.

INTER eximia beneficia, quibus humanissimè, nullo intermisso tempore me cumulavit Vir Illustrissimus Jo. Maria Lancisius Philosophiæ, Medicinæ, omnisque propemodum Literaturæ laude celeberrimus, non postremo loco ponendum duco, quòd, quum multos ante annos ad medicam disciplinam perdiscendam hortatus esset, nullius planè rei ipso in tyrocinio, quàm studiorum Mechanicæ, atque Anatomiæ altiorem speciem animo meo impresserit. Eandem ob causam quum idem Eustachianas Tabulas post summum, & incredibile studium in colligendis, apponendisque notis recenti prælo designaret; operis perspicuitati, meæque consulens eruditioni voluit, ut meas qualescunque vigilias impenderem, tum ut singulas Tabularum particulas, quæ animadversione magis dignæ habitæ sunt, per appositos numeros Tibi fideliter ostenderem, tum ut integrum opus ab erratis, quantum à Typographo licet exigere, vindicarem.

Hæc agens, nonnulla deprehendi, quæ, quum ad eundem Ducem, Præceptoremque meum detulissem, ipse ad rectum Tabularum usum Tibi necessariò significanda judicavit. Ea sunt:

Primò præfatas Tabulas juxta consuetum Anatomicorum ordinem non fuisse dispositas. Nam priores, (quæ nunc etiam à renibus incipiunt) ab universo potiùs corpore, nempe à Tabulis IX. X. &c. novissimè repertis, ducendæ fuissent. Quod etiamsi probè noverimus, earumdem tamen situm permutandum minimè putavimus, non solùm quòd numeri altiùs in Tabulis jam incisi essent, sed vel maximè, quòd integrum hoc opus, ne ullam notarum confusionem haberet, primis octo Tabulis, quæ in Eustachii opusculis continentur, illiusque notis explanantur, instrui debere videbatur.

Hanc verò perturbatam methodum non ab Eustachio, sed potiùs à Petro Matthæo Pino ejus discipulo quadam cogente necessitate susceptam, quantum licet conjicere, credendum est. *Scripserat enim Bartholomæus* (inquit [a] Pinus) *non modò de Renibus, verùm etiam de cæteris humani corporis partibus; sed ut ante alias Anatomicas tractationes, ab eo conscriptas, hæc, quæ de Renibus inscribitur, ederetur, fecit quorumdam importunitas, qui hoc anno in publico Theatro nonnulla de Renum sinubus à nobis animadversa in controversiam revocare frustra conati sunt*. Quum igitur Pinus tractationi de Renibus Tabulas etiam ad illas pertinentes, addere constituisset, necesse fuit easdem primis octo numeris signatas edere: & quoniam post Eustachii mortem idem Pinus omnes simul Præceptoris sui Anatomicas Tabulas in lucem emittere cupiebat, ut ipse fassus est [b], idcirco reliquas perpetuo numerorum ordine disponere coactus fuit, ac propterea Tabulas, quæ ex. gr. I. II. &c. Tibi exhibendæ fuissent, pro IX. X. &c. numerare.

Secundò Autorem nostrum, ut indicatæ partes ritè, ac facilè in Tabulis invenirentur, duos modos in suis opusculis proposuisse, quorum primum ita explicavit, videlicet:

Regulam ex charta, aut ære facito latitudine digitali, quæ longitudine harum Tabularum latitudinem exæquet. Eam dividito in gradus ipsarum Tabularum gradibus, ac numeris respondentes; sed regulam accomodabis ad lineas altitudinis Tabulæ ex eo numero, quem ipsarum index ostendit: quò autem lineæ concurrerint, angulumque effecerint, ibi quæsitam partem invenies. Illud verò attendito in indice, locos harum partium, quæ depictæ sunt, commostrante, priore numero altitudinem, posteriore latitudinem significari.

Quum verò usu deprehenderimus fore, ut si præfata regula non prorsus illi similis construeretur, quæ ad indicandas partes à nobis adhibita fuit, jam angulus ex concursu linearum oriundus plùs justo anterior, aut posterior efficeretur, qui proinde aliam ab indicata particulam Tabulæ demonstraret; propterea duas regulas, quibus nos usi fuimus, æri incidendas curavimus, quarum quæ brevior est, octo prioribus Tabulis aptabitur, quæ verò longior, in reliquis adhibenda erit.

Tertiò studendum esse, ut librorum compactor inter pulsandas, tundendasque libri paginas, easdem quoque regulas intus reponat. Quum enim Tabulæ per ictus malei paullò porrectiores in latitudine sint evasuræ; certè, nisi etiam regulæ id paterentur, jam quæsitæ partes ægrè inveniri possent.

Quartò ut ab eodem Bibliopego prædictæ regulæ crassiori chartæ membranaceæ superinducantur, atque à libri vertice filo pendulæ collocentur.

Quintò cum Incisoris incuriâ contigerit, ut non singulæ Tabulæ eadem constent latitudine, necesse est, ut, dum eadem regula uteris, illius principium in primo Tabularum latere, ac supra illam altitudinis lineam, quæ Figuram immediatè respicit, adamussim semper apponas, ipsiusque finem extra alterum Tabularum latus excidere facias.

Neque verò hîc reticendum nobis videtur, secundum modum ab Eustachio his verbis expositum fuisse. *Potest etiam*, inquit, *aut ex ferro, aut ex ligno fieri circulus planus, cujus ambitus sit paulò major, quàm longitudo Tabularum, eique alterum filum rectum, & alterum transversum ad angulos rectos protractum obducere, ac infigere oportet. Si enim ejusmodi regulæ fila numeris altitudinis, ac latitudinis in Tabula descriptis, accomodabis, punctum,* quo

a *In Annotationibus ad lib. de Renib.*

b *In epistola Lectori adnexa Opusc. edit. Venet.* 1597.

quo fila sese intersecant, *partem*, *quam inquiris*, *ostendet*.

Hic autem, quoniam non omnibus Tabulis congruere potest, quum graduum, seu numerorum vestigia in basi quoque impressa expostulet, eademque in plerisque prorsus desiderentur; idcirco nihil est, quòd de hac re Te monitum faciamus.

Attamen si expeditiorem exoptes modum pro eodem usu Tabularum, sequentem addimus. Quadrilongum planum ex charta crassiori, vel aliqua Tabella construito, quod undique quamlibet Tabulam aliquantulum superet; deinde illud per lineam diagonalem dividito; qua divisione duo triangula rectangula habebis, quorum alterum hoc pacto usurpabis. Latera angulum rectum comprehendentia ad lineas cùm altitudinis, tum latitudinis Tabulæ ex iis gradibus, qui indicati sunt, ita dispones, ut angulus rectus intra Tabulam incidat; quò verò idem inciderit, ibi quæsitam partem invenies.

Hæc si teneas, non solùm laborem nostrum æqui bonique consules, verùm etiam Eustachium, Lancisiumque meritis, dignisque laudibus efferes; illum quidem, quòd doctissimos labores ad rem Anatomicam illustrandam contulerit, hunc verò, quòd eosdem è tenebris erutos in publicam lucem, & utilitatem prodiderit, suâque satis jam accuratâ, absolutâque ad singulas Tabulas paraphrasi ita explanaverit, & auxerit, ut quisque rudimentis tantùm Anatomicis instructus, per se cuncta intelligere facilè possit.

Postremò, quum invenerimus inter autographa Tabularum Eustachii carmen hendecasyllabum Petri Matthæi Pini in laudem Magistri sui, Te, Lector humanissime, ejus usu, ac voluptate fraudare noluimus. Vale.

AD EXCELLENTISSIMUM

BARTHOLOMÆUM EUSTACHIUM

Præceptorem Optimum

PETRUS PINUS.

Olim Pergamides velut Magister
Falsa scripta refellit inscientis
Thessali, methodum docens medendi;
Sic meus quoque BARTHOLUS procacem
Fastum, & dicta refellit impudentis
Vessalj, methodum docens notandi
Quaque in particula situm, figuram
Structuram, numerum, ordinem, atque nexum.
Illi posteritas adhæret omnis,
Et mirata colit Virum; futura
Te nobis, Pater, invidebit ætas,
Seque ortos citiùs volent Nepotes:
Fortunata nimis, nimis beata
Per te secula nostra prædicabunt.

FRAN-

FRANCISCI SOLDATI

IN LAUDEM

ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI PRÆSULIS

JO. MARIÆ LANCISII

Præceptoris sui

EPIGRAMMA.

HUmano abstrusam scrutatus corpore molem
Eustachius magno proximus Hippocrati

Abdita recludit, penetralia pandit, & altis
Pressa olim tenebris, digerit in Tabulas.

Has tamen immiti mersere oblivia fato,
Ac tanta supérat nil nisi clade dolor.

Donec inoccidui pepulit lux SIDERIS umbras,
Artis Apollineæ commiserata vicem.

Gratia sed mutis constet cùm parva figuris,
Est operi tandem reddita vis animæ.

Scilicet ut doceant, vivaque ut voce loquantur,
Lancisius meritam contulit unus opem.

Eustachii hinc Tabulis cùm plurima debeat Orbis
Lancisio Tabulas debet, & Eustachium.

TESTIMONIUM

ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI RÆSULIS

CAROLI MAJELLI

Bibliothecæ Vaticanæ Custodis Primarii.

Demandante Reverendiss. P. Fr. Gregorio Selleri Sacri Palatii Apostolici Magistro diligenter & accuratè perlegi librum inscriptum: Tabulæ Anatomicæ Cl. Viri Bartholomæi Eustachii &c. quumque in eo nihil quidquam Catholicæ Religioni aut Christianæ pietati adversum, imò ad uberrimam rei Anatomicæ utilitatem, ad immortalem SS. Patris CLEMENTIS XI. Pont. Max. gloriam, atque ad perennem tum Celeberrimi Eustachii, tum Clarissimi Lancisii laudem opus redundaturum deprehenderim; publica eruditorum luce dignissimum censeo. Cognoscent etiam universi par æquumque fuisse, ut ad Tabulas tamdiu expetitas, quæ pessimo publico interciderant, è tenebris vindicandas, autoritatem suam Pontifex sapientissimus intenderet, iisque illustrandis, inter multiplices negotiorum ac studiorum curas, eruditionem suam doctissimus Lancisius accommodaret. Romæ Nonis Martii MDCCXIV.

Carolus Majellus.

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Baccarius Episc. Bojanen. Vicesgerens.

Reimprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.


INDEX

Eorum, quæ in singulis Tabulis continentur.

TABULA PRIMA.

TA-

TA-


TABVLA PRIMA

TABULA PRIMA.

Exponit varias renum figuras, ſitus, & magnitudines, cum ureteribus, atque incumbentibus glandulis, quas noſter Autor primus detexit; & Piccolhominus poſtea, Bauhinus, & Caſſerius renes ſuccenturiatos, Bartholinus tandem capſulas atrabilares vocarunt.

FIGURA PRIMA.

N prima Figura ren dexter eſt major, quàm ſiniſter; parte ſuperiore uterque æqualem ferè altitudinem habet. Siniſter enim nonnihil dextro eſt elatior, inferiore dexter ſiniſtro eſt humilior: & hoc evenit propter magnitudinem, cujus causâ ſiniſter altior dextro dici poteſt.

Glandula reni dextro incumbens, formâ, figurâ, & ſubſtantiâ ei reſpondens, major eſt quàm ſiniſtra, 1. 12.

Glandula reni ſiniſtro incumbens, ſimilis dextræ; ſed eâ minor, 2. 22. ÷

Venæ cavæ truncus, 2. 16. & 15. 16.

Arteriæ magnæ pars, 2. 19. & 15. 19.

Venula orta à dextra parte cavæ venæ ſupra emulgentem, & in pinguem dextri renis membranam diſtributa, 2. ÷ 15. Venula, 4. 15. vel à cava, vel à ſuprema parte emulgentis dextræ ortum ducens; quæ partim 2. 14. in ſeptum transverſum; partim 2. ÷ 13. in glandulam reni dextro incumbentem; partim 4. 13. in ſupernam regionem ſubſtantiæ renis diſtribuitur.

Vena emulgens dextra, humilior, brevior, & magis obliqua, quàm ſiniſtra, 5. 15.

Vena ſeminaria dextra, 9. 15.

Arteria dextra emulgens, 7. 11. ÷

Vas urinarium dextrum, 10. 13.

Vena emulgens ſiniſtra, altiùs orta, longior, & minùs obliqua, quàm dextra, 4. 18.

Oriri ſolent venæ emulgentes è regione duodecimæ thoracis, & primæ lumborum vertebræ.

Venula 5. 20. ÷ à ſuperiori latere ſiniſtræ emulgentis venæ in medio ductu nata; quæ diſtribuitur partim 3. 21. in ſeptum transverſum; partim 3. 22. in glandulam reni ſiniſtro incumbentem; partim 3. ÷ 23. in ſuperiorem regionem pinguis tunicæ renis.

Venula originem ducens à ſuperiori latere emulgentis ſiniſtræ juxta renem; diſſeminata in inferiorem partem pinguis tunicæ ejuſdem, 7. ÷ 25.

Vena ſeminaria ſiniſtra; orta ab emulgente, 7. 20. ÷

Arteria emulgens ſiniſtra, 5. ÷ 21. ÷ Arteriæ ſeminariæ, 8. 18. & 8. 19. ÷ Arteria inferior meſenterii, 10. 19.

Vas urinarium ſiniſtrum, 10. 22.

FIGURA SECUNDA.

Secunda Figura renem ſiniſtrum habet majorem, & altiorem dextro; licet propter magnitudinem hic videatur eſſe humilior.

Glandulæ renibus incumbentes, inſtar placentularum depreſſæ, ac latæ (ut plurimum enim tales occurrunt) renibus formâ ſunt rariùs ſimiles. Hæ quandoque non renibus, ſed tranſverſo ſepto adhærent, eique validè alligantur, 21. 11. & 22. 22.

Vena cava, 22. 16. & 34. 16.

Arteria magna, 22. 19. & 34. 19.

Venula parum ſupra principium emulgentis dextræ enata; inſeritur tum in dextram glandulam renis; tum in ſuperiorem regionem pinguis tunicæ ejusdem diſtribuitur, 22. 13.

Vena emulgens dextra altiùs oritur, quàm ſiniſtra; ac ſimul cum arteria in quatuor ramos dividitur; & antè diviſionem producit venam ſeminariam, 25. 14.

Venæ ſeminariæ dextræ duo principia; alterum ab emulgente, alterum à vena cava, 27. 14. ÷ & 30. 15. Vas urinarium dextrum, 30. 13.

Vena 23. ÷ 18. juxta emulgentem ſiniſtram à cava orta, quæ alterum ramulum, 24. 19. ÷ mittit in peritonæi membranas, alterum bipartitum, 23. 19. inſerit in glandulam reni incumbentem: unde alter ramulus, 20. 25. egreditur ad membranas peritonæi, alter ad ſupremam ſedem tunicæ pinguis, 22. 23. Vena emulgens ſiniſtra humiliùs oritur, quàm dextra; ac ſimul cum arteria in quinque ramos dividitur; & ante diviſionem duo principia venæ ſeminariæ producit, 27. 19. Vena ſeminaria ſiniſtra 31. 21. duobus principiis ab emulgente orta: quod ſæpè accidit; quanvis vena emulgens in tot ramos, quot vides, ſemper non ſit diviſa.

Arteriæ ſeminariæ, 28. 17. & 28. 20.

Vas urinarium ſiniſtrum, 30. 22. ÷

FIGURA TERTIA.

In tertia Figura ren dexter eſt altior ſiniſtro.

Venæ cavæ truncus, 43. 16. & 55. 16.

Arteria magna, 43. 18. & 55. 18.

Duæ emulgentes venæ dextræ altiùs oriuntur, quàm duæ ſiniſtræ; obliquè deorſum, uno digito æquè diſtantes, ad renem tendunt; quarum inferior eſt minor ſuperiori: ambæ ſeminariam venam producunt, 47. ÷ 12. & 49. 13. ÷

Arteria emulgens dextra, cum ſuperiori, & craſſiori vena procedens, 47. 13.

Vena ſeminaria dextra, ex duobus principiis conſtituta, 50. 13. ÷

Vas urinarium dextrum, 51. 12. ÷


Duæ venæ emulgentes ſiniſtri lateris, magnitudine æquales, figurâ flexæ; humiliùs oriuntur, quàm dextræ: quarum ſuperior ſatis obliqua deorſum procedit; inferior verò parum, & penè tranſverſa ducitur, ambæque inſtar X. ſe interſecant: eminentior enim inferiùs, humilior verò ſuperiùs in renem inſeritur, 46. 18. & 49. 20.

Arteria emulgens ſiniſtra; ad medium uſque ductum cum ſuperiori, & inde cum inferiori vena procedens, 47. ÷ 21. Vena ſeminaria ab inferiori emulgente orta, 49. 20. Arteriæ ſeminariæ, 50. 18. & 50. 19. ÷

Inferior arteria in meſenterium diſtributa, 51. ÷ 19.

Vas urinarium ſiniſtrum, 51. 23.

TA-


TABVLA SECVNDA

TABULA II.

Novas exhibet eorundem renum, incumbentium glandularum, & vasorum figuras.

FIGURA PRIMA.



IN prima Figura renes, magnitudine parum, aut nihil differunt; & dexter nonnihil est humilior; sinister parum elatior.

Glandulæ renibus incumbentes; depressæ, & oblongæ, ac si essent duæ placentulæ, 3. 12. & 2. + 24.

Vena cava, 2. 16. & 16. 16.

Arteria magna, 4. 18. + & 14. 18. +

Vena à cava juxta hepar originem ducens; partim dextræ glandulæ reni incumbentis corpus perforat; partim superficiem ejusdem perreptat, 2. 13. +

Venula in eandem glandulam inserta; originem trahens ab emulgente vena juxta cavam, 5. 14. +

Vena emulgens dextra; ferè è regione sinistræ, aut nonnihil inferiùs enata, 7. 14.

Vena distributa in pinguem renis tunicam; orta à superna parte emulgentis dextræ, 7. 11.

Vena alia emulgens dextra, parum sub priori enata; multò tamen eâdem minor, 9. 14.

Vena seminaria dextra, 9. 16.

Arteriola in dextram glandulam renis infixa; principium sumens ab arteria emulgente, 6. 13. +

Arteria emulgens dextra, 6. + 13. +

Arteria orta ab emulgente, & in renem dextrum juxta secundam venam emulgentem inserta, 8. + 13. +

Vas urinarium dextrum juxta renem satis latum, 11. 13. +

Vena emulgens sinistra; admodum magna, nonnihil altior in ortu, quàm dextra; parumper obliquè procedens, 7. 20.

Vena 6. 21. orta à superiori latere emulgentis sinistræ: quæ dividitur in duos ramos: quorum alter 3. + 21. bifidus, in medioque suarum propaginum arteriam continens, in septum transversum, non longè à sinistro latere foraminis, per quod gula pertransit, distribuitur; & antequam ad membranosam ejus partem perveniat, cum propriis septi transversi venis coit. Alter ejusdem venæ ramus, 4. 22. partim in glandulæ reni incumbentis substantiam, partim in ejus superficiem, ac in superiorem pinguis membranæ partem dispensatur.

Vena in mediam sedem pinguis tunicæ renis sinistri, ab emulgente juxta renem orta, 7. + 24. +

Vena ab emulgente sinistra, ferè eodem loco cum superiori originem ducens; in inferiorem partem pinguis tunicæ renis disseminatur; à qua ramulus procedit, qui cum vena seminaria sinistra conjungitur, 9. + 25.

Qua parte ab emulgente vena oriri solet seminaria sinistra, quatuor rami ab una radice simul oriuntur, quorum primus 8. + 22. + simul cum ipsa emul-

gente tendit in renem. Secundus 8. ÷ 21. & 4. ÷ 20. ÷ ad poſteriora juxta vertebras ſurſum reflectitur: & cum ramo ſiniſtro 2. 19. ÷ venæ ſine pari connaſcitur: cujus ſecundi rami portio 5. ÷ 21. ÷ ad latus ſiniſtrum tendit. Tertius 9. 21. ad ſiniſtrum latus iliorum deductus in proximas partes diſſeminatur. Quartus ramus 10. 20. ÷ venam ſeminariam ſiniſtram producit; cum quo portio venæ per pinguem renis tunicam diſſeminatæ conjungitur.

Arteria ſiniſtra in ſeptum transverſum diſtributa, 4. 20.

Arteriæ meſenterii, 5. 18. ÷ & 5. 19.

Arteria emulgens ſiniſtra, 5. ÷ 20.

Arteriolæ ad glandulam ſiniſtram reni incumbentem tendentes; quæ communi principio ab arteria emulgente oriuntur, 6. 22. ÷

Arteriæ ſeminariæ, 10. 18. ÷ & 10. 19. ÷

Arteria inferior meſenterii, 11. 19.

Vas urinarium ſiniſtrum, 9. ÷ 23.

FIGURA SECUNDA.

In ſecunda Figura ren dexter ſiniſtro major eſt; eodemque parumper etiam humilior.

Glandula dextro reni incumbens, inſtar placentulæ depreſſa, 24. 11.

Glandula inſtar placentulæ ſatis oblongæ, ſiniſtro reni incumbens, 25. 24.

Vena cava, 23. 16. & 38. 16.

Arteria magna, 25. 19. & 37. 19.

Vena à cava parum ſub hepate orta, dextri renis glandulam perforat, 23. 14. ÷

Vena ab emulgente juxta cavam originem ducens; altero ramo dextram renis glandulam penetrat; altero ejus ſuperficiem perreptat; altero in ſupremam partem tunicæ pinguis diſtribuitur, 26. ÷ 14.

Vena ferè in totam dextri renis tunicam pinguem diſpenſata, nam ſupremam ejus partem non perreptat, oritur ab emulgente juxta prædictam; & cum præcipuo ejus ramo, propago venæ ſeminariæ dextræ conjungitur, 27. ÷ 14.

Vena emulgens dextra, 28. 15.

Vena ſeminaria dextra, 35. 15.

Ramus venæ ſeminariæ dextræ; qui conjungitur cum ramo præcipuo venæ, quæ in pinguem dextri renis tunicam diſpergitur, 39. 12.

Arteria emulgens dextra, 30. 12.

Vas urinarium dextrum, 33. 13.

Vena emulgens ſiniſtra maxima, 28. 19.

Vena à ſuperiori parte ſiniſtræ emulgentis in medio ductu enata: quæ hoc pacto diſtribuitur, 28. 22.

Venula in ſeptum transverſum; non longè ab ejus arteria ſiniſtra, quæ ſatis inſignis etiam in ſimia obſervata eſt, 26. 21.

Vena glandulam renis ſiniſtri penetrans; & ejus ſuperficiem, ac pinguis ſupremam partem tunicæ renis perreptans, 26. ÷ 22.

Venulæ in pinguem renis ſiniſtri tunicam, ſupra ejus medium diſtributæ, 27. 23. & 28. 23.

Ramus venæ emulgentis ſiniſtræ, ſurſum juxta vertebras reflexus; qui cum altero extremo venæ ſine pari coit, 30. ÷ 22. & 26. ÷ 20. ÷

Portiones prædicti rami, in proximas partes diſtributæ, 31. 22. & 27. 21.

Vena

Vena ſeminaria ſiniſtra, 31. 21.
Ramus venæ ſeminariæ ſiniſtræ, in inferiorem partem pinguis tuncæ renis ſiniſtri diſtributus, 31. ÷ 22.
Arteria ſiniſtra ſepti transverſi, 25. 19. ÷
Arteriæ ſeminariæ, 30. ÷ 18. ÷ & 31. 20.
Inferior arteria meſenterii, 33. 20.
Vas urinarium ſiniſtrum, 33. 22. ÷

FIGURA TERTIA.

In tertia Figura ren dexter ſiniſtro aliquantulum eſt humilior.
Vena cava, 46. 16. ÷ & 57. 16. ÷
Arteria magna, 46. 19. & 57. 19.
Glandula reni dextro incumbens, inſtar placentulæ oblongæ, 44. ÷ 11.
Glandula, inſtar placentulæ oblongæ, reni ſiniſtro incumbens, 43. ÷ 24. ÷
Vena à cava parum ſupra emulgentem dextram ortum ducens; in tres ramos diviſa, 46. ÷ 15.
Primus ramus, altera ſui parte, in ſuperficiem glandulæ dextræ reni incumbentis diſtribuitur: alterâ verò eandem glandulam perforat; ac deindè ſuperiorem partem pinguis tunicæ renis perreptat, 46. 13.
Secundus ramus in totam ferè pinguem tunicam dextri renis diſpergitur, 47. 13.
Tertius ramus in membranam peritonæi, juxta vaſa emulgentia dextri lateris diſpenſatur, 48. 13.
Vena emulgens dextra, 49. 14. ÷
Vena ſeminaria dextra, 52. 16.
Arteria emulgens dextra humilior ſiniſtra, 50. 12.
Vas urinarium dextrum, 53. 12. ÷
Vena emulgens ſiniſtra major, quàm dextra, & eâ in origine altior, 48. 19.
Vena ab emulgente ſiniſtra, juxta ejus principium enata in duos præcipuos ramos diſtributa, 46. 18. ÷
Primus ramus 46. 20., altera ſui portione 45. 31. & 43. 26. ÷ in peritonæum; alterâ 45. ÷ 22. in glandulæ ſiniſtræ corpus, ac ſuperficiem; alterâ 46. ÷ 23. & 45. 27. in ſuperiorem partem pinguis tunicæ renis ſiniſtri digeritur.
Secundus ramus in membranam peritonæi, circa vaſa emulgentia diſſeminatur, 46. ÷ 19. ÷
Vena ſeminaria ſiniſtra, 51. 21.
Vena in renis tunicæ pinguis inferiorem partem, 51. 24.
Arteria emulgens ſiniſtra, 49. ÷ 23. ÷
Arteriæ ſeminariæ, 51. 18. & 51. 19. ÷
Inferior arteria meſenterii, 53. 19. ÷
Vas urinarium ſiniſtrum, 54. 22.

TA-

TABULA III.

Alias proponit renum figuras cum multiplicibus emulgentium, & ureterum inſertionibus.

FIGURA PRIMA.



N prima Figura dexter ren minor eſt, & elatior; ſiniſter multò major, & humilior; præſertim in infima ſede: nam in ſuprema ambo parum differunt.

Vena cava, 2. 16. & 14. 16.

Arteria magna, 2. 19. & 14. 19.

Vena emulgens dextra in tres ramos diviſa, 5. 14.

Vena emulgens alia, duobus digitis ſub prædicta originem ſumens; quæ venam ſeminariam dextram producit, 8. ÷ 13.

Vena ſeminaria dextra, 9. 14.

Vena alia, duobus digitis ſupra magnam cavæ venæ in lumbo diviſionem, principium ducens, inſeritur in humiliorem partem renis ſimul cum arteria, quæ ipſam comitatur, 12. 15.

Arteria emulgens dextra, ſimul cum prima emulgente vena procedens; in duos inæquales ramos diviſa, 4. 14.

Arteria alia à trunco dextro magnæ diviſionis in lumbo, 13. 15.

Dextrum vas urinarium, quod ſimam partem renis uſque ad ejus ſummitatem perreptat, 7. 11.

Vena emulgens ſiniſtra, è regione dextræ ortum ducens; ſimul cum arteria in tres ramos dividitur; nullamque ſeminariam venam producit, 6. 20.

Vena ſeminaria ſiniſtra à cava enata, 7. 17.

Arteriæ ſeminariæ, 7. ÷ 18. ÷ & 7. ÷ 19. ÷.

Inferior arteria meſenterii, 9. ÷ 19.

Interdum rene exiſtente ſatis magno, ut hic ſiniſter apparet, tres in eo ſunt cavitates, in quas urina colatur; una in ejus ſummitate, non admodum magna; altera in medio, prædictâ triplo major; tertia in infima ipſius ſede: & à qualibet earum unus oritur meatus urinarius.

Primus meatus urinarius à prima cavitate ortus; qui deorſum tendens uſque ad magnam arteriæ diviſionem in lumbo, conjungitur cum aliis duobus meatibus, 5. ÷ 22. ÷ & 10. 21.

Secundus ramus urinarius ortus à media cavitate; qui deorſum obliquè fertur, ferè uſque ad humiliorem ſedem renis, 10. 23.

Tertius meatus amplus eſt; & ab ultima cavitate tribus principiis ortum ducit: hic parumper deorſum productus, anguſtior redditur; & primum cum ſecundo meatu coit, ac unus cum eo efficitur: deindè cum primo unitus, cum eo unum vas urinarium efformat, 11. ÷ 23.


FIGURA SECUNDA.

In ſecunda Figura ren dexter elatior eſt ſiniſtro.

Vena cava, 20. 16. & 30. 17.

Arteria magna, 20. 19. & 31. 19.

Vena emulgens dextra, multò altiùs orta, quàm ſiniſtra; ſimul cum arteria in


TABVLA TERTIA

in tres ramos æquales diviſa: qui æquè diſtantes inſeruntur ſupra renis medium, 21. $\frac{1}{1}$ 14.

Vena ſeminaria dextra, 25. 16.

Vena alia emulgens, procedens à cava ſub ortu venæ ſeminariæ dextræ, quæ tranſverſa ducitur; & in renem inſeritur ſub ejus medium, 25. $\frac{1}{1}$ 15.

Duæ aliæ arteriæ, ultra conſuetam, cum prima vena emulgente procedentem; ad renem dextrum tendunt, 24. 15. & 26. 15.

Prima harum duarum arteria oritur ſupra arterias ſeminarias; & transverſa ſupra cavam venam procedens, inſeritur prope humiliorem ramum primæ venæ emulgentis, 24. 17.

Secunda arteria oritur ſub arteriis ſeminariis; & unà cum ſecunda vena ad renes progreditur; ac in eos inſeritur, 26. 17.

Vas urinarium dextrum, 27. 13.

Vena emulgens ſiniſtra; major, & humiliùs orta, quàm dextra; ubi arteriam magnam præteriit, in duos ramos partitur, & ſinguli rurſus in alios dividuntur. Altera portio primi rami inſeritur in glandulam reni ſiniſtro incumbentem, & ipſam perforat; altera in anteriorem renis partem ſupra ejus medium diſpergitur. Secundus ramus primùm gignit venam ſeminariam: deinde bipartitus, altera parte ſurſum fertur; & inſeritur in renem ſupra infimam partem primi rami: altera inſeritur in eundem renem ſub ejus medium, 23. 19.

Vena ſeminaria ſiniſtra, 25. 20. $\frac{1}{1}$

Alia vena ſiniſtra ad renem ſurſum obliquè tendens; oritur à ſiniſtro trunco magnæ diviſionis venæ cavæ in lumbo; & inſeritur in infimam ſedem renis, 33. 19. & 31. 21.

Arteria ſiniſtra emulgens; quæ in duas partes dividitur, quarum una fertur, & inſeritur ſimul cum infima portione primi rami venæ emulgentis: altera cum ſecunda parte ſecundi ejusdem venæ rami, 22. 20.

Alia arteria ſimul cum ſecunda vena ſiniſtra deducta; ortum ducens à ſiniſtro trunco magnæ diviſionis in lumbo, 30. 21.

Arteriæ ſeminariæ, 25. 18. & 25. 19. $\frac{1}{1}$

Vas urinarium ſiniſtrum inſtar oblongæ veſicæ ſatis dilatatum, in anteriori ſede renis obliquè poſitum; in quod plures ex rene feruntur meatus, multis interdum arenulis pleni, 27. 24.

FIGURA TERTIA.

In tertia Figura ren dexter ſiniſtro eſt minor; qui propter magnitudinem ſupra elatior, infra humilior dextro apparet.

Vena cava, 36. 16. & 50. 14. & 50. 18.

Arteria magna, 36. 18. $\frac{1}{1}$ & 51. 16. & 51. 20.

Vena emulgens dextra altiùs orta, quàm ſiniſtra; & eâ multò gracilior, quæ in duos ramos diviſa, altero in elatiorem, altero in humiliorem partem renis inſeritur; & antequam dividatur venam ſeminariam dextram producit, 38. 14.

Vena ſeminaria dextra, 39. 13.

Vena altera ad renem producta, quæ uno digito ſub emulgente dextra ortum ducens obliquè ſurſum tendit; & multò ſupra inſertionem prioris rami memoratæ emulgentis, in renem infigitur, 39. 15.

Tertia vena ad renem dextrum procedens, duobus digitis ſub ſecunda enata, & ferè tranſverſa ad renem producta, 42. 15.

Arte-

Arteria dextra supra emulgentem consuetam orta; primò deorsum, deinde sursum procedens, quæ in duos ramos divisa, inseritur in renis summitatem, 36. ÷ 17. ÷ & 37. 13.

Arteria dextra emulgens, deorsum cum vena emulgente procedens, & cum infimo ejusdem venæ ramo in anteriorem renis sedem inserta, 37. 17. ÷ & 38. ÷ 15.

Tertia arteria dextra, ortum ducens è regione inferioris arteriæ mesenterii, & transversa ad renem tendens, 43. 16.

Quarta arteria dextri renis, enata in medio magnæ divisionis, quæ in lumbo fit; obliquè sursum ad renis posteriorem, & inferiorem sedem protrahitur, 48. 18.

Quinta arteria dextri renis, orta à ramo ejusdem lateris ad os sacrum tendente; sursum obliquè ascendens, in anteriorem, & imam sedem renis inseritur, 57. 12.

Vas urinarium dextrum, in principio satis latum, ex quinque propaginibus conflatur; licet earum tres solùm appareant; quæ per anteriora renis egrediuntur, 44. 10.

Vena emulgens sinistra, 38. ÷ 18. inferiùs orta, quàm dextra, ubi arteriam magnam præteriit, in quinque ramos dividitur; quorum alter, 38. 21. qui superior est, inseritur, tum in elatiorem sedem ipsius renis, tum in glandulam ei incumbentem; unde postea ramulus ad membranam pinguem egreditur. Secundus 39. 21. obliquè deorsum tendit, & bipartitus in anteriorem sedem renis circa ejus medium inseritur. Tertius 40. 21. sursum obliquè reflectitur; & secundum instar X. intersecans, inseritur in anteriorem, & superiorem renis partem. Quartus 41. 21. deorsum obliquè tendens, inseritur in anteriorem, & humiliorem sedem renis. Quintus 41. 20. reflectitur retrorsum ad lumbum; & inter primam, & secundam ejus vertebram ad medullam spinalem penetrat.

Vena alia sinistri renis, à sinistro ramo magnæ divisionis in lumbo enata; sursum obliquè ascendit, & postquàm ramum divisionis arteriæ ejusdem lateris præteriit, in duas propagines dividitur; quæ in medio comprehendentes tertiam arteriam sinistram, inseruntur in anteriorem, & humiliorem sedem renis, 49. ÷ 18. ÷ & 47. 21.

Vena seminaria sinistra, 39. ÷ 17.

Prima arteria sinistra ad renem tendens, oritur è regione secundæ earum, quas in dextro latere esse diximus. Hæc juxta renem bipartita, inseritur cum primo, & cum tertio ramo venæ emulgentis, 37. 20.

Secunda arteria sinistri renis, oritur sub infima arteria mesenterii; bipartitaque prope renem inseritur, altera ejus parte sub medium renem, alterâ cum quarto ramo venæ emulgentis, 43. 20.


Tertia arteria, oritur paulo ante divisionem magnæ arteriæ in lumbo; quæ inter ramos secundæ venæ sinistræ procedens, simul cum illis in renem infigitur, 47. 20. ÷

Arteriæ seminariæ, 41. 18. & 41. 19.

Inferior arteria mesenterii, 43. 19.

Vas urinarium sinistrum, ex quinque propaginibus à renibus procedentibus conflatum; oblongam vesicam, instar peræ pastorariæ recurvatam refert; aut Threicium gladium altera parte flexum repræsentat: hoc calculis plenum à nobis est inventum, 39. 25. & 47. 24. ÷

TA-


TABVLA
QVARTA

TABULA IV.

Ostendit varias figuras cavæ, & venarum sine pari, cum ursino rene, & humanis monstrosis.



TRes Figuræ venarum primo loco depictæ, non modò ad tractationem de renibus pertinent, verùm etiam ad eam, in qua de vena azyga disputatur.

TRIBUS PRIMIS FIGURIS COMMUNIA.

Vena cava juxta cor recisa, 4. ÷ 4. & 5. ÷ 17. & 5. ÷ 29.
Vena sine pari, 6. 3. ÷ & 7. 16. ÷ & 7. 29.
Venæ sine pari divisio circa decimam thoracis vertebram, 13. 5. & 13. ÷ 18. & è regione octavæ, ut interdum à nobis observatum est, 11. 30.
Truncus venæ cavæ, quà vocatæ emulgentes ab ea oriuntur, 18. 4. ÷ & 19. 17. & 19. 29. ÷
Propago dextri rami venæ sine pari, quæ conjungitur cum vena cava, juxta ortum emulgentis dextræ, 17. ÷ 3. ÷, quod tamen raró cernitur.
Dexter, & sinister ramus venæ sine pari, qui cum prima vena sui lateris in lumbo sub emulgente orta conjungitur, 19. ÷ 3. & 18. 6. ÷; & in tertia figura, 20. 29. & 20. 31. ÷ In secunda autem sinister ramus conjungitur cum alio ab emulgente orto, priusquam producat venam seminariam, 20. 16. ÷ & 19. 19. ÷

FIGURA SECUNDA.

Vena 4. 19. ÷ à sinistro cavæ trunco in jugulo, sub ortu venæ sterni enata, in duos ramos statim divisa; quorum major 5. 18. ÷ sub arteria brachii sinistri, ad tertiam thoracis vertebram reflexus, juxta radices costarum, usque ad nonam singulis surculos offerens, perreptat; quò ubi pervenit, cum ramis venæ sine pari, octavum 10. 18., & nonum 12. 19. earum intervallum nutrientibus conjungitur: quod ab illis præsertim expendi debet, qui in sanguine exhauriendo fibrarum rectitudinem magnifaciunt. Minor ramus cum sinistro septi transversi nervo incedens, in ejus lateris membranam thoracem dividentem, & in eam, quæ pericardium appellatur, propagines distribuit: tribusque bifidis surculis in carnosam, eandemque superiorem partem septi inseritur.

FIGURA TERTIA.

Ramus venæ azygæ, qui juxta radices costarum sursum reflexus, tertium, quartum, quintum, & sextum earum intervalla sinistri lateris nutrit, 8. 30.
Vena 4. 31. ÷ à sinistro cavæ trunco in jugulo ortum ducens, in duos ramos scissa: quorum alter 5. 31. ÷ cum sinistro nervo septi transversi procedens, in hoc, & in membranam dividentem thoracem distribuitur; alter ramus 5. 31. sub arteriam brachii reflexus, è regione quintæ vertebræ thoracis, cum eo ramo 8.30. venæ azigæ conjungitur, quem à sexto intervallo sursum reflecti diximus.

FIGURA QUARTA.

Ren ursinus ex pluribus quasi glandulis magnitudine cerasorum coagmentatus, quæ invicem junguntur, & alligantur, membranæ cujusdam tenuis, ac ramo-

rum trium vaſorum beneficio. Harum diviſiones replet copioſum pingue; quo remoto facile eſt ejuſmodi particulas ſine vulnere ſeparare, 28. 17.

In ſingulas has urſini renis partes, glandulas referentes, ſemper ramus venæ, arteriæ, ac vaſis urinarii inſeritur.

Quilibet ramus vaſis urinarii in latum finem deſinit; in quem alia glandula parva, acuta, & nonnihil depreſſa, ex ſubſtantia renis formata, inſtar operculi ei incumbens, ingreditur.

Vena, & arteria emulgens, 28. 20.

Vas urinarium, 29. 21.

Bubulus ren eſt ferè ſimilis urſino; ſed tubercula glandulis ſimilia, non perinde in bove, ac in urſo dividi poſſunt.

Singula vaſa renis vitulini, antequam in glandulas, ſeu coagmentationes diſpenſentur, dividuntur in duos præcipuos ramos: quorum unus ſurſum, alter deorſum tendit.

In aliquibus fœtibus humanis, reperti fuerunt à nobis renes ſimiles bubulis; ut Ariſtoteles ſcribit.

FIGURA QUINTA.

Quandoque vidimus tres renes, unum ſcilicet in dextro latere, qui naturalis erat; duos verò præter naturam in ſiniſtro.

Alter ſiniſter ren præter naturam, admodum parvus; figuræ triangulæ, & ſatis depreſſæ; ſolâ ſubſtantiâ ſimilis ei, qui naturalis eſt, vaſe urinario, & arteria deſtituitur, 37. 25.

Alter ren ſiniſter præter naturam, in ſiniſtro ſpinæ latere ſitus eſt; & à ſummitate quartæ lumborum vertebræ, uſque ad oſſis ſacri initium producitur: eſtque in ſuperiori parte anguſtior, in humiliori latior; ac vas urinarium ex poſteriori ſui regione producit; quanvis hoc videri in figura non poſſit, 50. 21. & 59. 22.

Vena cava, 36. 16. & 50. 15. & 50. 18.

Arteria magna, 36. 19. & 47. 19.

Duæ venæ emulgentes dextræ; æquales, & æquè diſtantes; quæ arteriam in medio continent, 40. 12. & 40. 15.

Vas urinarum dextrum, 43. 12. ÷

Vena emulgens ſiniſtra, ſatis gracilis, elatiorem originem habens, quàm dextra; quæ ſine ulla comite arteria transverſa procedit, 37. 18.

Vena ſeminaria ſiniſtra, 38. 21. ÷

Vena orta à cava, è regione ſecundæ lumborum vertebræ; quæ tranſverſa ſub arteria procedit, 43. 21.


Vena alia principium ſumens parum ſupra magnam cavæ venæ diviſionem in lumbo; quæ etiam ſub arteria transverſa procedit, & cum prædicta coit, 47. 20. ÷

Vena ex prædictis duabus conflata; quæ inſeritur in poſteriorem ſedem renis, versùs externum latus, 48. 22.

Arteria bipartita, antè, & retro in ſuperficiem ſiniſtri renis diſtributa oritur, antequam magna arteria in lumbo dividatur, 46. ÷ 20. ÷

Arteria altera, à ſiniſtro trunco magnæ diviſionis in lumbo principium ſumens inſeritur in humiliorem renem ſiniſtrum ſimul cum vena, 48. 20. ÷

TA-



TABVLA QVINTA

TABULA V.

Humanum renem per medium divisum, atque interiora tum sanguinea, tum urinaria vasa demonstrat.

FIGURA PRIMA.



Rima Figura renem, & ejus vas urinarium per medium divisum ostendit.

Renis substantia circa ramos vasis urinarii, 7. 10. & 7. 22. & 17. 10. & 17. 22.

Carunculæ extuberantes, instar acutæ glandulæ, seu papillæ mammillarum, extrema patentia ramorum vasis urinarii claudentes; quæ mediæ secundùm ipsarum longitudinem divisæ sunt, ut cerni possint earum lineæ, hinc inde velut à centro ad circumferentiam protractæ; quarum causâ apparent ejusmodi carunculæ, ex pluribus quasi fibris concurrentibus contextæ, 8. 7. & 7. 18. & 8. 27. +

Vas urinarium cum suis ramis per medium divisum. In rene enim humano nulla alia est cavitas, præter illam, quam vas urinarium efficit, ob concursum suorum ramorum, 12. 10. & 12. 23.

Rami vasis urinarii per medium dissecti; in quorum extrema orificia, instar operculi incumbunt glandulæ parvæ, à substantia renum exturbantes, 6. 12. + & 6. 14. + & 8. 25. & 9. 8. & 9. 18. & 9. + 27.

Foramina vasis urinarii, quæ sine ordine distributa sæpe occurrunt; parvas quoque glandulas in internam cavitatem spectantes et ipsa admittunt, 7. + 13. & 9. + 18. & 10. 9. & 12. + 27. + & 15. 26.

Foramen, & via vasis urinarii extra renem procedens, 12. 16.

Vas urinarium extra renem deorsum tendens, 12. + 1.

FIGURA SECUNDA.

Secunda Figura, venæ, arteriæ, ac vasis urinarii ramos per renis substantiam distributos ostendit.

Vena emulgens, postquam in renem ingressa est, in quatuor, vel quinque scinditur ramos, qui in multos alios rursus divisi, per renis substantiam vario modo dispensantur, ac invicem permixti uniuntur; & denique in tenuissimos, visumque propemodum fugientes surculos cessant. Si enim ren incisus comprimatur; apparent multæ sanguinis guttæ, ostendentes vasa, quæ cerni non possunt, esse dispersa per renis substantiam, 55. 20.

Arteria emulgens, quæ simul cum vena procedens, eandem, quàm illa, habet distributionem, 56. 23.

In hac Figura apparent rami trium vasorum, remotâ, & abrasa tota renis substantiâ.

Vas urinarium, quamprimum in renem penetrat, dilatatur, ac in duas, quandoque in tres partes dividitur; quarum una sursum, altera deorsum tendit; ambæ verò in alios ramos, interdum quatuor, sæpe quinque, rursus dividuntur; quò fit, ut eorum divisiones octo, vel ad summum novem, aut decem sint, quæ in latum finem, instar coli rotundi desinunt, 52. 15.

Vas urinarium duas habet tunicas: in quarum exteriori disperguntur multæ

venulæ tenues, & aliquæ etiam ſatis evidentes elegantiſſimè diſpoſitæ: quod in hac pictura oſtendi non potuit.

Extrema orificia ramorum vaſis urinarii; quorum quodlibet, ut diximus, à caruncula inſtar papillæ mammillarum, clauditur: circa quam unaquæque horum ramorum extremitas connaſcitur; & quibusdam fibris ſatis validis, altèque in ſubſtantiam renis infixis adhæreſcit, 48. 7. & 48. 27. ÷ & 41. 12. & 41. 26. ÷

TABULA VI.

Caninos renes variè diſſectos patefacit.

FIGVRA PRIMA.



PRima Figura oſtendit renem caninum, per medium diſſectum, abſque remotione alicujus particulæ.

Renis circumferentia, ejusdem ſubſtantiæ cum reliquo corpore, 5. 11. ÷ & 5. 23. & 15. 10. & 15. 25. & 25. 12. & 25. 23.

Pars renis, lineis quibusdam ſublatis, ceu fibris à centro ad circumferentiam productis, exculpta, 5. 13. & 5. 22. & 15. 11. & 15. 24. & 25. 13. & 25. 21. ÷

Foramina quædam vaſorum, quæ in renis diviſione inciſa fuerunt: anteriora enim cum poſterioribus connaſcuntur, 7. 15. & 7. 20. ÷ & 16. 14. & 16. 21. ÷ & 22. ÷ 15. & 22. ÷ 21.

Pars renis magis alba, & ſubcineritia; diverſis in locis maculis quibusdam rubeis tincta; cavitatem renis, inſtar ſepti, per medium dividens, 8. 15. & 8. 20. & 15. 14. & 15. 21. & 23. ÷ 15. & 23. ÷ 20.

Portio cavitatis internæ renis, 13. 17. ÷ & 17. 17.

Foramen, & principium vaſis urinarii, 15. 17. ÷

FIGVRA SECVNDA.

Secunda Figura oſtendit renem caninum, detracta illa parte, quæ, inſtar ſepti, per medium dividit cavitatem renis.


Partes renis, inter diviſiones corporis membranei exiſtentes, 37. 17. ÷ & 44. 13. & 44. 22. & 52. 12. ÷ & 52. 19. & 52. 21.

Corpus membraneum vaſa operiens, eademque complectens; à quo cavitas renis magna ex parte efformatur, 41. 16. & 41. 19. & 45. 15. & 45. 20. & 49. 16. & 49. 19.


Rami prædicti corporis membranei invicem connati; qui vaſa undique ſub & ſupra complectuntur, 39. 15. & 39. 19. ÷ & 45. ÷ 13. & 45. ÷ 22. & 49. ÷ 14. & 49. 21.

Foramen, & principium vaſis urinarii, 45. 17. ÷

TA-



TABVLA SEXTA



TABVLA SEPTIMA

TABULA VII.

Iterum caninum renem, detractis internis quibusdam membranis, ac tympani ossicula exhibet.



REN caninus; à quo non solùm detracta est pars illa, quæ cavitatem renis, instar septi, dividit, sed etiam corpus membraneum; quod in alia Figura vasis erat obductum, & cavitatem internam renis, magna ex parte, efformabat.

Substantia renis inter ramos vasorum, 24. 14. & 24. 22. & 29. 13. & 29. 23. & 37. 14. & 37. 19.

Rami venæ emulgentis; satis ampli, tenuissimam tunicam habentes, 29. 18. + & 30. 19. & 31. 18.

Rami arteriæ, simul cum ramis venæ distributi; quibus membrana subjacet, pinguedine referta; quæ continua est cum propria renis tunica; sicut pinguedo cum ea, quæ circa vasa extra renem est circumfusa, 29. 16. & 29. 17. & 27. 18. & 28. 19. + & 31. 16. & 31. 20. & 34. 16. & 34. 18. & 34. 19. & 34. 21.

Prædicti rami venarum, & arteriarum invicem non coeunt; nec degenerant in tertium corpus, ut scribit Vesalius; sed venæ cum venis, arteriæ cum arteriis uniuntur.

Rami venæ, & arteriæ passim distribuuntur per substantiam renis, & continentur à canaliculis; qui fiunt ex conjunctione corporis membranosi, & alterius membranæ vasis substratæ: hi autem canales, instar vaginæ, manifestè apparent dispensari per renis substantiam.

Membrana prædicta vasis substrata; à corpore membranoso, quod iisdem vasis incumbere diximus, recisa, 26. 17. & 29. + 15. & 29. + 20. & 32. 15. & 32. 20. & 35. 15. & 35. 18.

In ea cavitate, quæ fit à corpore membranoso vasis incumbente, & à membrana iisdem substrata, multa pinguedo continetur; quæ ramis vasorum undique obducitur.

Foramen, per quod venæ, & arteriæ in renem ingrediuntur, & vas urinarium extra procedit, 30. + 17. +

FIGURÆ PARVÆ.

Duæ parvæ Figuræ, ad epistolam de organis auditus pertinentes, tria ossicula, in caverna ossis petræ similis recondita, & musculum motioni eorum præfectum ostendunt; superior quidem in homine, inferior verò in cane.

Ossiculum incudi simile, 8. 16. & 48. + 19.

Ossiculum malleum referens, 9. 15. & 49. 20.

Ossiculum stapedi vocatæ comparatum, à Vesalio prætermissum, 9. 18. & 49. 18.

Musculus nemini Anatomicorum non incognitus, qui in majorem processum ossiculi malleum referentis inseritur, 11. 18. & 51. 16. +

In cane autem, non longè ab insertione, glandulam corneam adnexam habet, 50. 19.

TABULA VIII.

Diverſa brachiorum tum in homine, tum in cane ſanguinea vaſa, cum dextro cordis ventriculo aperto, demonſtrat.

FIGURA PRIMA, ET SECUNDA.



RIMA, & ſecunda Figura, quaſdam dextri brachii humani venas oſtendunt; & præſertim illas, quæ in profundo latitant.

Truncus dexter venæ cavæ in jugulo, 1. + 10. & 2. + 18.

Radix jugularis internæ, 1. 10. & 2. 17. +

Radix jugularis externæ, 1. 8. + & 2. 16.

Truncus humerariæ, & axillaris, 2. 7. & 3. 15.

Vena humeraria, 3. 4. & 3. 13.

Diviſio humerariæ parum ſupra cubiti flexum in duos ramos; quorum interior cum axillaris ramo conjunctus, communem venam efformat, 19. 3. & 20. 10. +

Propago prædicti interioris rami humerariæ, quæ in flexu cubiti jungitur cum profunda axillari, 22. 5.

Venæ communis ſuperficiariæ radix, 22. 4. & 22. 12.

Axillaris ſimul cum arteria, 4. 6. & 5. 13.

Axillaris parum ſupra internum humeri tuberculum in duos ramos diviſio; quorum exterior cum altero humerariæ ramo conjunctus, communem ſuperficiariam conſtituit, 19. 6. & 20. 14.

Axillaris profunda, quæ plerunque oritur ſupra medium longitudinis humeri, & interdum altiùs, vel humiliùs, 10. 5. & 10. 12.

Axillaris profunda gemina eſſe ſolet, & arteriam hinc inde complecti. Interdum utraque ejus pars, in medio ferè ductu in unam coit; deinceps illico bipartitur; & circa cubiti flexum iterum unitur: quod Veſalius ignorat, 11. 5.

Axillaris profunda ſupra humeri medium, in duas partes arteriam utrinque complectentes dividitur: ex quibus circa cubiti flexum una efficitur; non ſolùm ut in ſecunda Figura cernitur, ſed variis etiam modis; quorum nullus à Veſalio deſcribitur, aut pingitur, 11. 12.


Axillaris profunda 21. + 5. + & 22. 13. in flexu cubiti, aliquos ſurculos principiis muſculorum, qui oriuntur ab interno humeri tuberculo, tribuit: deinde cum ramo, 22. 4. + vel ab humeraria communem venam conſtituente, 23. 12. vel ab ipſa communi orto, conjungitur: de qua re Veſalius nimis petulanter Galenum reprehendit.

Congreſſus duarum memoratarum venarum, ſeu vena communis profunda, quæ videtur dividi in tres ramos, contra Veſalii opinionem, 22. 5. & 24. 12.

Humilior venæ communis profundæ ramus, juxta ulnam incedens, non ſemper unus eſt; ſed interdum geminus exiſtens (quod Veſalius non animadvertit) comprehendit in medio arteriam, & ſub muſculo in octavum brachialis os inſerto procedens, viciniſque ſoboles offerens, in internam manus ſedes diſpenſatur; & omnibus digitis, vel quatuor, vel etiam paucioribus, ſurculos offert, 24. 5. & 25. 12.

Elatior venæ communis profundæ ramus, juxta radium incedens, non raró, ſicut humilior, geminus eſt, & ſub muſculo brachiale ad magnum digitum flectente deorſum procedens, viciniſque muſculis propagines offerens in

inter-


I
II
III
IIII
V
VI
TABVLA OC TAVA

internam ſedem pollicis, vel indicis diſtribuitur, 25. 3. & 26. 10. †

Medius ramus venæ communis profundæ, qui à Veſalio nec diſcribitur, nec pingitur; inter muſculos ſecundum, & tertium digitorum internodium flectentes, totam membranei ligamenti ulnæ, & radii longitudinem perreptans, muſculis ei incumbentibus ſurculos tribuit; & interdum geminus exiſtens arteriam hinc inde comprehendit, 24. 4. † & 26. 11. †

Propago à prædicto medio ramo venæ communis profundæ circa quartam ulnæ partem orta; quæ ligamentum membraneum ulnæ, & radii perforans, ad poſteriora tranſit, & in muſculos ab ulna procedentes, aliosque eidem incumbentes diſtribuitur. Hæc propago, quæ interdum gemina eſt, & arteriam mediam comprehendit, oſcitanter à Veſalio prætermittitur, 26. 3. † & 27. 11.

Arteria cum axillari vena procedens, 2. † 11. & 3. † 18.

FIGURA TERTIA, ET QUARTA.

Figura tertia, & quarta aliquot venas, & arterias dextri brachii ſimiæ demonſtrat.

Truncus dexter venæ cavæ in jugulo, 6. † 24. & 6. 34.

Vena jugularis interna multò major, quàm externa, 6. 24. & 5. 33. †

Vena humeraria, quæ à clavicula, & muſculo ab ea in primam coſtam inſerto media comprehenditur; & juxta illius cum ſterno articulum foras erumpit, 6. 23. & 5 33.

Principium jugularis externæ ab humeraria ſub clavicula procedens, 5. 23. & 4. 33.

Alterum principium jugularis externæ ab humeraria procedens, ubi claviculam præteriit, 4. 21. † & 3. 31.

Jugularis externa à duobus principiis enata, contra quam in homine, multò major eſt, quàm interna, 2. 22. & 1. 31.

Humeraria à muſculo deltoide, & ab eo, cui mammilla inſidet, operta, 6. 20. & 5. 30.

Diviſio humerariæ ſupra cubiti articulum, 19. 18. & 18. 27.

Humerariæ ramus per exteriora cubiti diſtributus, 21. 18. & 20. 26. †

Humerariæ ramus, qui circa medium cubiti, cum alio ab axillari enato coit, 20. 18. † & 19. 27.

Axillaris ſimul cum arteria, eodem modo, quo in homine internus ejus ramus, profunda eſt; & ſub primo muſculo cubitum flectente arteriam comitem habens, uſque ad cubiti flexum procedit, 7. 23. & 7. 31.

Ramus axillaris, qui per thoracis latus ſub cute diſpenſatur, 9. 22. & 9. 32.

Axillaris diviſio non longè à cubiti articulo, 18. 21.

Ramus exterior axillaris arteriam comitem habens, qui cum alio humerariæ, è regione extremæ partis carnoſæ primi muſculi cubitum flectentis, nimirum inter hunc muſculum, & alium obliquum radii conjungitur, 19. 21.

Propago rami exterioris axillaris, per interiora cubiti in ſuperficie diſpenſata, 22. 21. †

Propago, 22. 19. quæ interdum oritur ab externo ramo axillaris ad medium cubiti tendente; & quandoque 21. † 27. à conjunctione ramorum axillaris, & humerariæ bipartito ſcinditur; deinceps ſub cubiti flexu, inter duos radii muſculos extrà erumpit, & à ligamento, quod inſtar membranæ omnibus muſculis ea in parte obducitur, uſque ad radii extremum fertur.

Pro-

Propago, arteriâ interdum destituta, à conjunctione ramorum humerariæ, & axillaris procedens, quæ sub obliquum radii musculum demergitur; & cum altero ramo profundo axillaris, juxta insertionem primi musculi cubitum flectentis conjungitur, 22. 19. & 21. ÷ 28.

Interior axillaris ramus, parum supra cubiti articulum ortus, qui profundus juxta os cubiti simul cum arteria incedens, multas propagines vicinis musculis offert, & tendinem primi cubitum flectentis non longè ab ejus insertione conscendens, ramo à conjunctione humerariæ, & axillaris orto, occurrit; & communem profundam efformat, 20. 21. ÷

Insignis ramus ex profunda, quam diximus, venarum conjunctione ortus, qui simul cum arteria juxta os ulnæ sub musculis digitos flectentibus latitans, medius inter duas propagines ab eadem conjunctione ortas, ad extremam manum procedit, 24. 20. & 23. 28.

Venæ axillaris divisio, quæ sicut in homine, ante medium longitudinis humeri, interdum fit, 11. 30.

Exterior axillaris, quæ, secus quàm in homine, arteriam comitem habet; & à primo musculo cubitum flectente non admodum profunda occultatur; ac parum supra cubiti articulum dividitur, 15. 30.

Rami humerariæ, & axillaris exterioris conjunctio, juxta cubiti flexum, 27. ÷ 27. ÷

Exterior axillaris ramus sub cute distributus, 20. 30.

Interior, & profundior ramus axillaris, qui à primo musculo cubitum flectente occultatus, interdum, non aliter quàm in homine, in duas propagines mediam arteriam comprehendentes, divisus, usque ad insertionem ejus musculi fertur: juxta quam ipsum conscendens, cum ramo à priori jam dicta humerariæ, & axillaris exterioris conjunctione orto, coit; & venam communem profundam efformat: unde facile est Vesalii ignorantiam arguere, qui hominis, & simiæ convenientiam propter ejusmodi venarum congressum turpiter ignorans, non minùs temere, quàm injustè Galenum de eis reprehendit, 13. 29. ÷

FIGURA QUINTA.

Quinta Figura præcipuas venas, & arterias dextri brachii canis ostendit.

Truncus dexter venæ cavæ in jugulo, 29. ÷ 35.

Truncus humerariæ, & jugularis externæ, 29. 34.

Humeraria 29. 33. orta à jugulari externa, parva est; & è regione medii capitis humeri à musculis occultata ad posteriora quodammodo reflectitur; & quum ad finem musculi deltoidis pervenit, à ramo axillaris, 35. 39. qui major ipsâ est, adaugetur, aut potiùs constituitur.

Humeraria juxta primum musculum flectentem cubitum incedens, 37. 30.

Divisio humerariæ supra cubiti articulum, 43. 30.

Humerariæ ramus per exteriora cubiti distributus, qui ferè ad inferius extremum radii bipartitur, & in manum dispensatur, 45. 29.

Ramus humerariæ, qui in flexu cubiti cum externo ramo axillaris conjungitur, 44. 30.

Vena jugularis externa, 28. 23.

Vena gracilis orta à jugulari externa, quæ in superficie per posteriora scapulæ deorsum incedens, juxta inferius, & posterius latus musculi deltoidis jungitur

gitur

gitur cum alia inſigni vena orta ab axillari, 28. 32.

Vena axillaris, 30. 34. +

Inſignis vena orta ab axillari juxta ejus principium, quæ ſub cervicem ſcapulæ ad poſteriora procedens, humerariæ conjungitur; & ipſam adauget, vel potiùs conſtituit, 32. 32.

Vena axillaris ferè in ſuperficie incedens, inter quam, & arteriam nervi medii ſunt, 34. 32. +

Ramus axillaris pluribus ſurculis per muſculos cubitum extendentes in ſuperficie diſtributus, 42. 33.

Ramus inſignior axillaris, ferè in ſuperficie ad flexum cubiti ſimul cum arteria incedens, qui cum ramo humerariæ conjungitur, 44. 32.

Surculus gracillimus inſignioris rami axillaris, qui in ſuperficie longioris radii muſculi fertur, 47. + 30.

Tertius axillaris ramus, qui non longè ab alio, quem inſigniorem eſſe diximus, ſupra cubiti articulum ortus, profundus cum arteria incedit; & ſub inſertione primi muſculi cubitum flectentis, cum ramo à conjunctione humerariæ & axillaris in flexu cubiti orto, unitur 44. 32. +

Ramus 47. + 30. + conjunctione humerariæ & axillaris in flexu cubiti ortus; qui arteriâ deſtitutus, ſub obliquum radii muſculum demergitur; & in duos ramos dividitur; quorum interior cum tertio axillaris 47. + 31. jam dicto ramo conjungitur; deinde transverſus 44. 31. juxta os ulnæ incedens, ſimul cum arteria ferè uſque ad ulnæ extremum fertur.

Exterior ramus, ut in pictura vides, diſpenſatur, 50. 30.

Gracilis arteria ſimul cum ramo axillaris procedens, qui cum humeraria conjungitur, 45. + 29. +

Arteria ſine vena ſub externo brachialis muſculo incedens, 56. 27.

FIGURA SEXTA.

Sexta Figura dextrum cordis ventriculum ſecundùm ejus longitudinem inciſum, cum tribus membranis orificio venæ cavæ præfectis oſtendit; & præterea internam partem auriculæ dextræ, quæ à vena cava, qua parte ei adhæret, diviſa eſt.

Membrana, artificii, & admirationis plena, nemini Anatomicorum hactenus non incognita, quæ foramini venæ cavæ à jecore aſcendentis, quum primùm hæc in dextram auriculam degenerat, præfecta eſt, nimirum dimidiatam partem, eamque anteriorem illius occupat; & deinceps reticulum efformat, 44 15.

Membrana cornutæ lunæ figuram referens, orificio majoris venæ coronariæ, ceu operculum ultra medium obducta; quam cæteri Anatomici oſcitanter prætereunt, 46. + 15.

Superius orificium venæ cavæ ad jugulum aſcendentis, quæ, ut Galenus ſcribit, ab elatiori auriculæ dextræ extremo principium quodammodo ſumere videtur, 43. 23.

Cætera, quæ in hac Figura continentur, ad præſentem tractationem non pertinent.

TABULA IX.

Exhibet universum corpus cum artubus, & reseratis ventribus; ut contenta viscera in situ naturali à Tyronibus facilè animadverti possint.



APtissimam, & à Priscis fortè ignoratam, inchoandæ in Theatro dissectionis, ac demonstrationis Anatomicæ methodum ostendit in hac Tabula (quam certè primam spectatoribus sistendam statuerat) Eustachius: etenim, non tantummodo generalem totius corporis, sed particularem exhibet notitiam tum omnium penè uno obtutu viscerum, quæ in tribus ventribus clauduntur, tum singulorum artuum. Et quidem, præter unum Gasparem Bartholinum juniorem, nullum vidimus, à quo in ostensionum limine hæc simul viscerum in proprio situ cognitio tradatur. Porrò multùm, & sæpe artefactæ Prosectorum industriâ viscerum sectiones, aut ex sectionibus delineatæ icones Tyronibus imponunt. Nam hi falsum quid imbibunt, credentes, eodem ipso situ, libertate, ac simplicitate intra animalium corpora, cùm vasa, tum membranas, tum exta ipsa inesse, cujusmodi in Tabulis disposita, aut delineata perspiciunt; quum secus omnia in animalibus mirum in modum colligata, connexa, & cohærentia sint. Sectores enimvero, ut apparenti, quanquam fallaci operis pulchritudini consulant, semper vascula, & tunicas, cultro, ac forcipibus, interdum unguibus scindunt, ac distrahunt, non raro etiam acu, & filo variis modis aptant, consuunt, atque, ut paucis dicam, à veritatis statu deturbant. Quod sanè hoc loco præcipuum, cognituque dignum candidatis arbitror. Nam ipse ego, quum publicè in Theatro Romani Archilycei triginta ab hinc annis Anatomen docerem, aliorum periculo admonitus, semper ostensiones meas ab hac methodo, demonstrandi scilicet viscera in proprio situ, exordiebar.

Vides itaque in hac Tabula anticam faciem humani corporis, quod apud Anatomicos dividitur in ventres, & artus, vel, ut meliùs apud Recentiores, in truncum capitatum, & artus.


Trunci capitati nomine id venit, quod à summo vertice, collo, humeris, indeque à costis per lumbos, ilia, os sacrum, & inguina usque ad pudenda circumscribitur.

Artus verò dicuntur partes, quæ, veluti in arboribus rami, à trunco propendent; suntque alii superiores, alii inferiores: illi quidem constituuntur à brachiis; hi verò à cruribus.

In trunco autem capitato tres ventres animadvertis, qui à situ, quem in corpore tenent, supremus, nempe caput; medius, scilicet thorax; & infimus, hoc est Abdomen appellantur.

Hos igitur ventres diligenter Tibi unica in Tabula reseravit Eustachius; ut, quæ viscera in singulis primo intuitu occurrere possunt, ritè conspicias: reliqua enim exta, partim declinatis, aut elevatis, partim ablatis, quæ superstant, facilè in ipso cadavere deteguntur.

Spectas quidem primo loco abdomen (ut plerosque Anatomicos in sectionum ordine sequamur) spatium videlicet, quod describitur superiùs à 27. 21. usque ad



TAB. IX.

ad 27. 36.; inferiùs verò à 39. 24. usque ad 39. 34., atque in eo nodum funiculi umbilicalis, qui ex duabus arteriis, una vena, atque uracho consurgens, communique membrana obductus, ipsi umbilico 32. ÷ 29. quasi clavo affigitur: hinc verò suas productiones, inferiùs nempe duas arterias 40. 26. & 40. 31. ÷ ab iliacis procedentes, & urachum 37. 29. ad urinariam vesicam 41. 29. desinentem; superiùs autem venam umbilicalem 32. 29., quæ ad hepar ascendit.

Cernis quoque omentum multis vasis ornatum 35. 25. & 35. 34., atque hepar 28. 25. suo cum anteriori ligamento 28. 28. ÷, quod diaphragmati sub cartilagine ensiformi adnectitur. Intestinum pariter ileon 38. ÷ 27. & 40. 31.

Deinde in medio ventre, seu thorace, detractis sterno, costarum portionibus; necnon pleurâ, quæ interiùs costas succingit, pulmones primo aspectu observantur in magnos lobos 20. 25. & 20. 33. divisi: deinde segmentum diaphragmatis 25. 23. & 25. 35.; duo pariter nervi in idem utrinque ad lineam descendentes 22. 28. & 22. 29. ÷

Cæterùm, quod sibi voluerit indicare Eustachius per spatium illud leve, quod alba superficie oculis obversatur 23. 30. non satis intelligo: *Davus enim sum, non Oedipus*: fieri enim potuit (quod admodum probabile videtur) ut propter incuriam ipsius Incisoris, pericardium, cujus imaginem eo loci fortè satagebat ostendere, ineptissimè delineatum fuerit.

Denique, ad caput ascendens, secto cranio, atque dempta dura matre, perspicuè vides superficiem cerebri pia matre obvelatam 3. 23. & 3. 31. unà cum sanguineis vasis.

Præterea conspicis externas etiam capitis partes, frontem nempe 5. ÷ 31., occiput 8. 23., tempora 6. ÷ 27., anteriorem colli partem, & præcipuè jugulum 13. 30.; posteriorem autem, quæ cervix 13. 25. dicitur.

In artubus verò, & primò superioribus juxta singulas partes, in quas Anatomicorum vulgo dividuntur, cernere poteris humerum 15. 20. & 15. 37., cubitum 30. 9., ejus flexuram 28. 41., carpum 34. 20., metacarpum 32. 47., volam manus 35. ÷ 19., illius dorsum 33. 46. & digitos.

Inferiorum autem artuum partes sunt primò femur, quod superior cruris pars est à genu 62. 27. & 62. 40. usque ad abdomen; subinde tibia, quæ est inferior pars pedis à genu usque ad tarsum 81. 28. & 81. 40., quæque posteriùs 70. 30. sura dicitur; tandem extremus pes, qui alias patitur subdivisiones: hunc enim Anatomici partiuntur, in tarsum 81. 28. & 81. 40., metatarsum 83. 28. & 83. 42. ac digitos.

Fruere igitur, amice Lector, tanti Viri labore, & nostrâ, quam hîc pro viribus adhibuimus, industriâ.

TABULA X.

Demonstrat pleraque viscera in abdomine contenta, & potissimùm quæ ad primam alimentorum coctionem, & fæcum exclusionem conferunt. Incipiendo itaque à



IGURA I., hæc sanè exhibet oesophagum 5. 10. cum ventriculo 44. 4. usque ad 44. 20., cujus primum, superius appellatum, orificium 36. 13., alterum autem, inferius dictum, nempe pylorus 43. 5. ostenditur. Animadvertantur stomachi membranæ primùm exterior, à peritonæo mutuata 42. 7.; deinde subjecta, seu media, muscularibus fibris apertè donata 44. 15.; quæ quidem quum solidiuscula sit, in varia superposita segmenta, seu strata per artem dividi potest; & multò faciliùs in avibus, quibus ventriculum longè crassiorem, seu magis lacertosum natura largita est.


Interior autem, quæ villosa est, membrana in tumido adhuc ventriculo conspici non potest.

FIGURA II. ostendit partem cavam elevati paululum hepatis 8. 16. & 8. 30., in qua notentur vesicula fellis 5. 21., ejus ductus 11. 23., qui cum hepatico 11. 24. -¦- jungitur, & choledocum efformat 13. 23. -¦- Similiter proximè, & profundiùs adstans vena porta 12. 24. -¦- cum arteriolis hepaticis superpositis 11. 25. -¦-, demum vena umbilicalis disiecta 6. 27. Ventriculus occurrit 13. 25. & 13. 39. Lien è regione sinistra eidem adjacens 12. 42. Portio omenti à ventriculi fundo propendens cum minutissimis glandulis adiposis. Intestinum duodenum occultatur sub omento 16. 24. Jejunum per abdominis præcipuè centrum revolutum 22. 20. usque ad 22. 36. Ileon deinde ad latera potissimùm serpens à 29. 20. usque ad 29. 38. Colon ita locatum, ut ejusdem muscularis fascia appareat, quæ, brevior quum sit universa ejusdem intestini longitudine, in causa est, ut illud in rugas contrahatur, variasque veluti cellulas effingat: incipit autem colon 28. 18., & ascendens fertur sub ventriculo 19. 20. usque ad 19. 38. Extrema coli pars, quæ inflectitur 39. 34., ut in rectum intestinum transeat 40. 29.: in quo sanè diligenter advertantur fibræ rectæ, eæque musculares 44. 30., quæ à podice 46. 28. sursum exporrectæ, musculis elevatoribus 43. 26. & 43. 31. non ægrè succenturiantur. Denique musculus ani sphincter 45. 29. clarè apparet.


FIGURA III. parte ventriculi posticâ suspicionem præbet, Eustachium non latuisse ante Wirsungium à pancreate 43. 49. & 49. 47. proprium ductum 47. 50. -¦- unà cum choledoco 45. 51. intra duodenum ferri 49. 51.

FIGURA IV. & V. delineant intestina crassa extra abdomen utcunque in situ naturali accomodata. Figura IV. facie anticâ, V. verò posticâ. Portio abscissi intestini ilei 67. 8., necnon 69. 34. Cœcum apparet instar vermiculi 68. 7. & 65. 31. Colon per se oculis patet, quemadmodum etiam intestinum rectum cum fibris longitudinalibus probè denudatis, quæ in limbo sub circularibus in podice occultantur, 85. -¦- 16.

TA-



TAB. X.



TAB. XI.

TABULA XI.

Proponit videnda alia etiam abdominis vasa, & viscera, coctioni, motui, & separationi liquidorum destinata.



DUMBRAT FIGURA I. vasa sanguinea mesaraica, quæ ad intestina deducuntur cum diversis glandulis, & inter eas chyli etiam, ut arbitramur, lymphæque reductivas adænas: quas quidem non vidi hactenus ullum ex priscis Anatomicis, qui tam exquisitè delineaverit; quod etiam sequenti Figura admiramur.

FIGURA II. Mesenterium, & mesocolon exhibet.

FIGURA verò III. & IV. utramque jecoris faciem cum suis ligamentis, anteriori quidem, & lato 45. 14.; posteriori verò propendente 45. 42. Vesica fellea cernitur 45. 47., canalisque communis dissectus 39. 44. In eadem autem IV. Figura (quæ ad veritatis imaginem mirè incisa fuit) sectio circuli 28. $\frac{1}{1}$ 44., qua venæ cavæ segmentum colligatur, depingitur: posteriùs portio ejusdem propendentis vinculi, quo jecur diaphragmati suspenditur. Vena item portæ ostenditur 36. 47.

FIGURIS deinde V. & sequentibus usque ad IX. varii lienis aspectus depinguntur, forsitan ordinarii, & extraordinarii, integri, & secti in quarum VII. & IX. nostros ante oculos obversantur nonnulla vasa, quæ per longum exporrecta, ac subinde in transversum delata, videntur aliquid subindicare, quod ipsi Eustachio nuper innotuisse credendum est. An in viventium, quæ interdum secuit, animalium lienibus vasa lymphatica subolsecit?

FIGURA X. exhibere videtur renem dissectum, in quo tubuli, tanquam filamenta nervea, à corticali illius visceris parte oriuntur, & in fasciculos papillares hîc, & illic concurrunt, ac desinunt; quæ quidem papillæ, seu carunculæ numero octo in pelvim aperiuntur. Habes non absimilem, & quidem meliorem figuram Tabulâ V. Figura I. suis cum annotationibus.

Tandem FIGURA XI. ostendit virorum membrum per urethræ longitudinem usque ad vesicam apertum, ut præcipuè spongiosi corporis substantia, necnon ingressus ureterum in vesicam possint animadverti.

TABULA XII.

Verſatur in demonſtrandis variis organis, quæ ſecernendo, colligendo, excludendoque tam lotio, quàm ſemini famulantur.



IGURA I. renes oſtendit cum ſuis glandulis ſuccenturiatis, ab Euſtachio primùm detectis, 2. 7. & 2. 16. -|- item vaſa, non tantùm quæ dicuntur emulgentia, ſed etiam quæ per renum membranas ſparguntur 4. 9. & 5. 15.; imò, quod magis intereſt, canales ſanguineos hypogaſtricos, ab iliacis in urinariæ veſicæ corpus, atque ad penis radicem 34. 10. & 34. 15. potiſſimùm productos. Spectamus etiam, miramurque in eadem Figura ſummam Autoris diligentiam, quam nullus recentiorum, quod viderim, adhibuit, in delineandis lateralibus ſurculis, qui ex arteriis, veniſque ſpermaticis, utrinque diſſectis 24. 5. & 24. 19. ad peritonæum divertunt. Præterea exhibet urinariam veſicam cum amputato uracho 25. 12., proſtatas 34. 11. & 34. 13. Muſculos etiam penis, erectores nuncupatos, 38. 10. & 38. 15.

FIGURA II. indicat teſtem humanum, ablatâ vaginali tunicâ, cum vaſis, per illius ſuperficiem in gyrum ductis: epididymus etiam, poſteriùs didymo incumbens, apparet 40. 7. -|- & 40. 17.


In FIGURA III. ſtudium à nemine priùs ſuſceptum cernitur, quo, detractis viſceribus omnibus, ligamentis etiam, & membranis ſuſpendentibus, ac tegentibus vaſa ſpermatica, liberè & videri, & intelligi poteſt iter fluentis liquidi ſanguinei ad ipſos didymos, nec non progreſſus vaſorum deferentium à teſtibus, & epididymis per inguina uſque ad veſiculas ſeminales, & urethræ ſuperficiem. Vides enim 20. 39. & 20. 50. -|- ſecernendum in teſtibus ſemen ferri per vaſa ſanguinea, dicta ſpermatica, uſque ad teſtes. Intueris deinde, quæ internum locum tenent, vaſa deferentia, ab epididymis orta, facto ſemicirculo 29. 40. & 29. 51., intra abdomen ſe abſcondere, tandemque rectâ petere laterales urethræ lineas 33. 45., ubi duo foraminula ad ſpermatis egreſſum in capite, ut ajunt, gallinaceo, clarè ſpectantur 34. 45., dum interim 32. 44. & 32. 47. veſiculæ ſeminales, ad aſſervandum ſemen, perſpicuè delineantur. Labor ſanè improbus, ſed egregius, magnique pro Tyronibus uſus.

FIGURA IV. exhibet exemplum duplicati renis ſiniſtri, cujus iconem, & explicationem Autor dedit Tabulâ IV. Figurâ V.; quam Lector rurſus ad oculum, & ad memoriam revocare, ſi velit, commodè poterit.

FIGURA V. oſtendit epididymum, & ex eo productum vas deferens, 35. 22.

FIGURA VI. teſtem patefacit retractâ ad latus albugineâ tunicâ, ut vaſorum ſanguineorum ex hac in illum tranſitus appareat 50. 10.

FIGU-



TAB. XII.

FIGURA VII. exhibet externam urinariæ veſicæ peripheriam revolutam, ut poſtica ſua parte videri poſſit: quamobrem abſciſſum fuit utrumque vas deferens 69. 27. & 72. 34. ⊹, nec non dexter ureter 67. 36. ⊹ Notentur interim inſertiones ureterum intra veſicam per poſticam, & infernam ejuſdem partem prope collum 70. 30. & 70. ⊹ 32. ⊹ Mirabilis quoque carneo-tendinoſorum lacertorum, veſicam circumtexentium, delineatio diligenter obſervetur 67. 30., uſque ad 67. 35. Nam illam Autor detegere non potuit, quin detractâ priùs externâ membranâ, & fortè etiam ferventi aqua irroratis priùs fibris, quæ veſicæ muſculum conſtituunt. De iis autem veſicæ urinariæ fibris loquutus eſt Autor in Opuſculo de Renibus cap. 19. pag. 75. Vide ſitum veſicularum ſeminalium 71. 31. proſtatarum 72. 30.

FIGURA VIII. exhibet denudatum à membranis, diſſectumque teſtem ſine epididymo.

FIGURA IX., detractâ veſicâ, demonſtrare potiſſimùm videtur ſanguinea vaſa, quæ ad poſticam ejuſdem partem feruntur.

FIGURA X. exhibet ramos arteriarum, qui in aliquibus cadaveribus ab iliaca ſiniſtra in utriuſque renis inferiora ſegmenta propagantur; quaſi in ſupplementum arteriarum emulgentium, quæ interdum graciliores reperiuntur; cujus ſanè erroris, aut luſus naturæ in ramificandis vaſis tam venoſis, quàm arterioſis ad ſiniſtrum renem progredientibus, hîc, & Figurâ etiam XII. ſpecimen exhibetur. In hac verò advertatur dilatatus ureter ſiniſter 60. 52. fortè quia exemplar ex cadavere alicujus, qui, dum erat inter vivos, calculo laboraverat, deductum eſt; id quod in XII. etiam Figura obſervatur.

FIGURA XI. demonſtrat externam renis ſuperficiem, quæ in fœtubus præſertim quadrupedum, & urſinis potiſſimùm varias in glandulas diſpertita reperitur. Eandem Figuram habes Tabulâ IV., ejuſque accuratiſſimam eodem loco explicationem.

TABULA XIII.

Detegit vasa renum, uteri, & ligamentorum ejus.



TAQUE à 10. 15. usque ad 32. 16. depingit vasa per internam renum substantiam dispersa, quæ triplicis generis sunt, nempe arteriosa, venosa, & urinaria. et quoniam hujus iconis, multò quidem perfectioris explicationem dedit Autor Tabulâ V. Figurâ II., ad eandem Lectorem jure merito rejicimus. In sinistro autem observentur venæ, quæ à superficie renis sanguinem in emulgentem exonerant; quum in præcedenti Tabula Figura I. demonstrasset easdem venas, à rene dextero in cavam liquida referentes. harum verò delineationes, ac notas habes in Tabula I. Figura II. & III., & Tabula II.


Deinde ostendit externam faciem uteri, ac vaginæ suis cum sanguineis vasis, à quorum exortu usque ad uteri cornua animadvertere licet hinc inde dissectos surculos, qui ii quidem sunt, quos huc illuc per abdomen spargi in cadaverum dissectionibus passim observamus. Hæc sanè diligentia in aliorum Anatomicorum tabulis omnino desideratur.

Præterea sedulò advertendæ sunt anastomoses 40. 38. & 52. 21., & 37. 21. & 56. ⊹ 34. arteriarum, & venarum, quæ ab aorta descendente, & cava majorem in partem desinunt in ovaria, & uteri parietes.


Notandum insuper hac eadem in Tabula mirabile artificium circa reliqua vasa, quæ ad uterum, ejusque vaginam, clitoridem, atque urinariam vesicam propagantur; nam non tantummodo demonstrantur oriri à truncis aortæ, & cavæ, verùm etiam ab inferioribus sectionibus iliacarum, nempe ab hypogastricis, 70. 20. ⊹ & 71. 37.; à quibus canales mirè divaricantur.

Illud verò peculiari animadversione dignum censemus, quòd Eustachius genuinam hîc structuram rotundorum ligamentorum elegantissimè dederit, mixtam scilicet ex sanguineis vasis serpentino ductu, dexterâ præsertim parte ex cruralibus etiam ramis prodeuntibus, atque fibris longitudinalibus, quæ venis, arteriisque substratæ sunt. Docemur autem ab hujusmodi obliquo, & tortuoso vasorum ductu ligamenta hæc distendi, quum scilicet uterus in gravidis ascendit versùs diaphragma; complicari rursus, & convolvi facilè posse, quum à gestatione fuerit feriatus. An verò horum ligamentorum vasa à cruralibus germinantia aliquid etiam ad alendum fœtum, ejusque membranas conferant, viderint alii: nos enim demonstrasse contenti sumus, recentiores etiam Scriptores, ipsumque Suvamerdamium à nostro Autore hac in exponenda re præventos, ac superatos fuisse. Denique clitoris 86. 29. cum suis utrinque cruribus, ac musculis 84. 26. & 84. 33. bellè delineatur.

TA-



TAB. XIII.



TAB. XIIII.

TABULA XIV.

Exhibet uterum, placentam, & fœtum non humanum modò, sed etiam pecudum, suis cum membranis, & cotyledonibus.



FIGURA I. ostendit in situ pudendum muliebre tam externum à communibus tegumentis denudatum, scilicet cunni labia, nymphas, & clitoridem, quàm internum, videlicet uteri fundum. Ab externo itaque pudendo principium sumentes, observentur fibræ carneæ, quæ in mulieribus continuæ sunt ab uteri labris in ani sphincterem 17. $\frac{1}{1}$ 28. $\frac{1}{1}$ Quare ansam nobis præbent asserendi, musculos labrorum vulvæ, à Graaffio potissimùm detectos, Eustachio clarè innotuisse. Vides etiam in hac Fgura propagationem sanguineorum vasorum à cruralibus 8. 21. $\frac{1}{1}$ & 8. 35. & 9. $\frac{1}{1}$ 22. & 9. 35. per rotunda ligamenta usque ad uteri fundum 6. $\frac{1}{1}$ 26. $\frac{1}{1}$ & 6. $\frac{1}{1}$ 30. $\frac{1}{1}$, ut in præcedenti Tabula extra situm depicta fuerunt.

FIGURA II. demonstrat vaginam integram, hoc est non apertam, cum clitoride, ejusque musculis, & vesicâ urinariâ ad lævam inclinatâ, ut & ejusdem colli in vaginam, & ureterum in vesicam insertiones pateant; necnon superiori parte uterum cum transversim dissectis utrinque ad ejus fundum tubis 24. 5. & 24. 15., & rotundis ligamentis 25. 5. & 25. 15.

FIGURA III. patefacit eandem vaginam per longum parte posteriori divisam, ut meatus urinarius 48. $\frac{1}{1}$ 29. incolumis, atque in situ ostendi posset. Os uteri internum 38. 29., necnon folliculorum oscula, quæ clarissimus postea Malpighius stygmata appellavit, tum supra orificium, tum infra per vaginam distributa in hac, & in sequenti IV. Figura delineantur. Sed, quod maximè interest, illud est, quòd à nostro Eustachio fortè ante Falloppium visæ fuerint tubæ, suis hiatibus perviæ ab uteri fundi lateribus 24. 25. & 24. 33. in ovaria.

FIGURA V. delineat humanam placentam propriis membranis obvolutam, quemadmodum post partum extruditur, eamque videndam exhibet, qua parte ipsi utero adhærescit. Supersedemus autem hîc ad singulas partes descendere, quoniam eas nulli ignotas esse putamus.

FIGURA VI. demonstrat fœtum, capite in genua procumbentem, quem situm plerunque intra uterum servat, ejusque vas umbilicale 65. 21., eo potissimùm loco, quo ab amnio 65. 26. in chorion 65. 30. penetrat; dividit propterea, ac sejungit has membranas, ut hoc naturæ artificium ostendat. Cernantur etiam vasa sanguinea, quæ ludunt per chorion 65. 31.

FIGURA VII. usque ad Figuram X. varios pecudum fœtus cum membranis, & cotyledonibus juxta naturæ statum delineat, quod ab eo primùm observatum fuisse peritus quisque rerum Anatomicarum judicare potest, licèt postea grandioribus iconibus in publicum emiserit Fabritius ab Aquapendente.

TABULA XV.

Diversos tum laryngis, tracheæ, pulmonum, & diaphragmatis, tum cordis, & magnorum vasorum aspectus demonstrat.


IGURA I. delineat laryngem 4. 13., asperam arteriam 7. 12., & anteriorem pulmonum faciem 15. 6. & 15. 16., cum thymo 11. 12., & duobus nervis 14. 11. & 14. 13., qui utrinque ad latera mediastini versus diaphragma 23. 12. exporriguntur.

FIGURA II. exhibet venam cavam superiorem 42. 11. $\frac{1}{1}$ in dexteram cordis auriculam paululum dilatatam 45. 11. desinentem: in qua quidem animadversione digna est venæ coronariæ in eandem auriculam insertio 47. $\frac{1}{1}$ 11. Notetur quoque locus adhæsionis quadrifariam secti pericardii cum arteria magna priusquam in carotides dispertiatur 42. $\frac{1}{1}$ 13.: ex qua quidem adnæsione plura deducimus nostris in libris de Corde. Circa pericardii originem non à substantia cordis, sed ab ejus vasis multa ex Galeni sententia tradidit Eustachius antigram. 10. de Vena sine pari pag. 283. Advertatur etiam situs arteriæ coronalis ab aorta procedentis 44. 12. $\frac{1}{1}$


FIGURA III. patefacit posticam asperæ arteriæ, & pulmonum faciem unà cum pendula arteria magna, surculis intercostalibus, tametsi dissectis 78. 12. $\frac{1}{1}$ insignita.


FIGURA IV. depingit pulmones anteriori parte, in quatuor lobos perbellè divisos, cum corde intra pericardium vaginato 17. 44. Neque verò prætereunda hîc est vena cava superior, quæ à loco, ubi in pericardium absconditur, emergit 13. 42. Arteriæ quoque subclaviæ, & carotides, quum primùm attolluntur, observentur 12. $\frac{1}{1}$ 43. Cæterùm diaphragmatis meminimus Figura I.


FIGURA V. proponit observanda pulmonum posteriora, ubi vena pulmonica primùm occurrit, detracto corde, quemadmodum proficiscitur à pulmonibus cum quatuor caudicibus, binis superioribus 45. $\frac{1}{1}$ 41. & 45. $\frac{1}{1}$ 45.; totidemque inferioribus 48. 41. & 48. 45., dissecto tamen, hianteque orificio 48. 43 cum auricula sinistra continuato. Patent etiam in hac Figura tum arteria pulmonica supra, & ponè venam pariter pulmonicam locata 45. $\frac{1}{1}$ 41. $\frac{1}{1}$ & 45. $\frac{1}{1}$ 44., tum arteria aorta, quæ supra arteriam pulmonicam inflectitur, & cujus hîc foramen per cultrum apertum se offert, 45. $\frac{1}{1}$ 42. $\frac{1}{1}$

FIGURA VI. posticum aspectum pulmonum, & vasorum cardiacorum exhibet; &, nisi me veri species fallit, series quoque ostenditur nonnullorum ramusculorum venæ, quæ sanguinem à pericardio, ac mediastino in cavam regerit: de quibus sanè ramulis idem egit Eustachius in Opusculis de Vena sine pari antigram. 8. pag. 230.

TA-


I
II
III
TAB.


IV
V
VI
XV.



TAB. XVI.

TABULA XVI.

Hæc Tabula exhibet aſpectus cordis tum externos, tum internos, unà cum appenſis vaſis in ſitu naturali.



IGURA I. oſtendit cor 15. 18., qua parte excipit contactum dexteræ auriculæ 15. 12., & cum mucrone 20. 25. ad ſiniſtram vergente. Obſervetur vena coronaria 17. 14. ſanguinem à cordis ſubſtantia intra eandem auriculam regerens, cui comes arteria item coronaria 12. 15. è regione arteriæ aortæ 10. 14. prodiens, totumque cordis viſcus circumplectens, atque alluens. Vaſa porrò ſanguinea majora circa cor abſciſſa apertè viſuntur; nimirum vena cava inferior 22. 12., ſuperior verò 10. 11. cum ſucclaviis 5. 11. & 5. 13., & ramuſculis ſanguinem ex mammis reducentibus 6. 11. & 5. ÷ 13. ÷; arteria pariter aorta his vaſis ſuppoſita cernitur 7. 14., quæ primùm in ſucclavias 3. 10. & 6. 16.; deinde in carotides 3. 11. ÷ & 5. 15. diſpertitur.

FIGURA II. repræſentat cor, ejuſdemque vaſa, facie prorſus contrariâ ei, quam præcedens Figura demonſtraverat; ea videlicet parte, qua dorſo incumbunt, ut præfatorum vaſorum aſpectus, & cum cordis ſubſtantia continuatio faciliùs conſpiciantur: vena ſiquidem cava 22. 50. apparet ſuperincumbens auriculæ dexteræ 18. 53. Cerne ejus ramum coronarium à corde redeuntem 19. 49., ut etiam utriusque venæ ſucclaviæ truncos 4. ÷. 49. & 5. 52. Præterea abſciſſus à trunco ramus 9. ÷ 52. ÷ eſſe videtur vena ſine pari, quam azygon dicunt. Vena autem pulmonica utrinque abſciſſa, & trunco ſuo auriculæ ſiniſtræ adhærens 16. 50. Arteria deinde pulmonica pariter diſciſſa 12. 48. Denique arteria magna, ubi à corde egreſſa curvatur 9. 47., & à ſe dimittit aſcendentes truncos 6. 48. & 6. 49. ÷ Neque hîc prætereunda eſt arteria coronalis, quæ ab aorta procedit 13. ÷ 47.

FIGURA III. repetit Autor exemplar, quod jam dedit Tabulâ VIII. Figura VI.; in qua præter auriculam dexteram, & cavam ſuperiorem, à jugulo reducem, dexterum etiam ventriculum per longum ſectum 47. 20., & tres valvulas tricuſpides 45. 16. & 45. 20. & 45. 24. demonſtrat. Præterea notatione maximè dignas cenſemus duas valvulas, alteram majorem 40. 20., quam ſeculo ante Lovverum Euſtachius demonſtravit; ſcilicet qua impeditur, ne ſanguis à jugularibus, per ſuperiorem cavam 39. 27. deſcendens, nimio impetu arietet cum ſanguine per cavam inferiorem aſcendente; alteram verò exiguam 42. 20. ÷ orificio venæ coronariæ admotam, cui nos inſignem uſum tribuimus in Tractatu de Motu Cordis.

FIGURA IV. tres valvulas ſigmoideas, ſeu ſemilunares 41. 41. & 41. 43. & 41. 45., orificio arteriæ pulmonicæ 39. ÷ 40. & 39. ÷ 46. præfixas exhibet.

FIGURA V. totidem pariter oſtendit valvulas ſigmoideas, ſeu ſemilunares oſtio cordis ad arteriæ magnæ initium admotas 71. 15. & 71. 17. & 71. 20. cum

dehiscentibus orificiis duarum arteriarum coronalium 70. 14. & 70. -/- 19. -/-, & vix apparente auricula sinistra 69. -/- 22.

FIGURA VI. sinistrum ventriculum apertum, cum duabus valvulis tricuspidibus, seu mitralibus 73. 42. & 73. 49., necnon pendulâ sinistrâ auriculâ 70. 38. exponit.

TABULA XVII.

Demonstrat situs omnes, & aspectus cerebri tam integri, quàm dissecti, necnon cerebellum cum spinali medulla à vertebrarum specu exempta.




SI quæ sunt Tabulæ, unde summum Eustachii in Anatomicis studium, ac manus in dissecando dexteritas innotescat, hæ duæ profectò, præsens nimirum, & sequens, id apertissimè ostendunt, pro quibus delineandis non dubito, quin egregius Autor molitus fuerit difficillimum, ac planè incredibile opus; quum omnia ferè, quæ in cerebro, ac nervorum origine, quotquot post illum usque ad nostra tempora, beneficio etiam microscopii, detegere conati sunt reliqui Anatomici, solus ipse aperuerit.

FIGURA itaque I. Eustachius cerebri Anatomen ab ejusdem superficie orditur, considerandum proponens cerebrum cum pendula dura matre, & communibus velamentis, cujus lævum hemisphærium est integrum, 13. 6. & 13. 23.; dexterum verò 18. 4. & 18. 24. sectum, ut appareat pars medullaris 18. 10. & 18. 15., necnon corpus callosum 16. 15.

FIGURA II. exhibet cerebellum, quod bifariam dissectum, & ad latera diductum est, ut commodè cerni possit non solùm cerebri ventriculus quartus 70. 30., & medullaris ipsius cerebelli instar ramorum arborum divaricata substantia, verùm, quod maximi interest, continuum esse cerebellum tam cum cerebro, quàm cum spinali medulla: superiùs quidem cum cerebro per duos processus 4. -/- 29. & 4. -/- 30. -/-, ortos à basi protuberantiarum orbicularium 3. -/- 29. & 3. -/- 31., quos postea processus Willisius ostendit; inferiùs verò per totidem processus 9. 28. -/- & 9. 31., à Varolio post Eustachium indicatos, jungi cum spinali medulla. Allicit autem meos potissimùm oculos glandula pinealis, posita in apice protuberantiarum 2. -/- 30., à qua utrinque nervosus funiculus oritur 3. 28. -/- & 3. 31. -/-, de cujus usu, ac præstantia ipsemet egi in peculiari Dissertatione de Sede Cogitantis Animæ ad clarissimum Fantonum ante annum data. Neque hîc præter nervos patheticos, de quibus in sequenti Tabula Figura II., prætereunda videtur universa spinalis medulla ex ossea vertebrarum vagina detracta, à qua singula nervorum paria produci observantur: in ea tamen illud apprime considerandum se offert, quòd Eustachius non levem Vesalii errorem absterserit; quum spinalis medullæ caudicem

non



TAB XVII

non ſenſim decreſcentem, ſed versùs lumbarem præſertim regionem, unde majores crurales nervi prodire debebant, longè craſſiorem depinxerit.

FIGURA III. detractâ per cultrum ſuperincumbentem mole hemiſphæriorum cerebri, oſtendit duos anteriores ventriculos falciformes; &, quod non oſcitanter advertendum eſt, exhibet (contra receptam uſque ad ea tempora opinionem) plexum choroidem non ſimplicem, ſed, quemadmodum revera invenitur, duplicem; ſcilicet per utrunque ventriculum diſtributum 20. 44. & 20. 47.

FIGURA IV. videndum præbet plexum choroidem, ut ſupra, duplicem, interjectis fornicis cruribus, quæ hîc ad poſteriora ſunt reclinata 51. 13. & 51. 16. & 51. 18., ut ſcilicet liberè obſervari poſſint quatuor cerebri protuberantiæ orbiculares 49. 16. cum glandula pineali, quæ iisdem ſupereminet. Notetur meatus 46. 15. +, qui ad infundibulum 44. 15. + protenditur.

FIGURA V. patefacit conjunctionem nervorum opticorum ſupra ſellam, ut ajunt, Turcicam 40. + 43. Inſuper fornicem in ſitu, cujus principium 43. 43. +; cornua verò 45. 39. & 45. 48. Reliqua cerebri ſegmenta, quæ peripheriam occupant, à Wieuſſenio corpus medullare limbi nuncupantur.

FIGURA VI. oſtendit originem nervorum opticorum, nulli Anatomicorum ante ſuam ætatem cognitam, peculiari quidem, nec laudibus ſatis efferendo ſtudio, ac labore; quum ſibi invertendum fuerit cerebrum, detrahendaque tanta ſolummodo illius portio, quanta prohibebat, ne clarè appareret prædictorum principium eſſe non anticam, ſed, factâ utrinque circumductione, poſticam thalamorum partem. Vide originem 78. + 13. & 78. + 17., circumductionem 76. 11. + & 76. 18. + locum tandem amputationis 73. 13. & 73. 17. Ceſſent modò Scriptores à litigiis de palma hujus inventionis. Intuere Lector in hujus Figuræ parte ſiniſtra initium quoque, & progreſſum olfactoriorum nervorum 72. 17. +

FIGURA VII. præbet obſervandum cerebellum inverſum cum protuberantia annulari 75. 43., & proceſſu vermiformi parte ſuperiori 73. 43., inferiori verò 77. 43.

TABULA XVIII.

Delineat nervorum omnium originem à spinali medulla tam intra, quàm extra cranium.



Æc quoque Tabula, ut in præcedenti monuimus, docet quos labores subjerit Autor, ut perspicuè proponeret nervorum omnium principium. Nec porrò ullus erit candidæ mentis, qui has Figuras optimum nostræ ætatis ingenium antevertisse inficiabitur. Etenim ostendunt quidquid à Vidio Vidio, quidquid à Willisio, atque à Wieussenio, & Ridleyo posterioribus temporibus, ac nostro etiam ævo demonstrata fuerunt. Profectò Autor extrahere debuit quàm diligentissimè cerebrum cum singulis nervis à medulla intra cranium ortis, ut observaret origines uniuscujusque illorum paris. Sed initio ducto à

FIGURA II. quippe quæ digna magis, ut ab Anatomico ad examen revocetur: hæc sanè nobis testatur Eustachio innotuisse decem paria nervorum intra cranium à medulla oriri; tametsi septem, priscorum linguâ utens, in Opusculis dixerit. Ut verò studii nostri etiam partem aliquam hîc patefaciamus, exhibet quidem

Primum par nervorum, qui sunt olfactorii, quique olim processus mammillares dicebantur 4. 28. ÷ & 4. 29. ÷

Deinde secundum, nimirum opticorum, abscissum tamen juxta coalitum 8. ÷ 28. 8. ÷ 29. ÷

Tertium oculorum motorium 10. 28. & 10. 29. ÷


Quartum par à recentioribus patheticorum nuncupatum, quod omnium, quæ intra cranium nascuntur, tenuissimum, oritur ab inferiori parte medullæ oblongatæ, juxtaque oculorum motorios, & cujus fibræ ad frontis cutem, ad musculos labri superioris, narium, & attollentes maxillam inferiorem, necnon ad linguam, & dentes exporriguntur. Vide illud veluti tenuissima utrinque filamenta hîc enitescere in obscuris spatiis 10. 27. & 10. 31.

Quintum par cæteris crassius è lateribus prominentiæ annularis (quæ cadit sub 12. 29.) propè patheticos nascitur, & in tres insignes ramos utrinque dividitur 10. ÷ 26. ÷ & 10. ÷ 31. ÷; quorum propagines aliæ feruntur ad oculorum orbitam, aliæ ad frontem, aliæ ad maxillas, & palatum. Sunt qui hujus nervi surculos ad linguam etiam, & ad informandum nervum intercostalem, & splanchnicum unà cum sequenti dispensari arbitrentur.

Sextum par longè minus, & instar filamentorum oritur ab inferiori loco annularis prominentiæ, & lateraliter fertur 12. ÷ 25. & 12. ÷ 33.; hoc verò majorem partem in oculi musculum, qui vulgò Indignatorius appellatur, absumitur; ramusculum tamen largitur superiori quinto pari, ubi in intercostales, & splanchnicos digeritur: unde clarissimus Willisius plura pathematum phænomena explicat.

Septimum par auditorium jure dictum 13. ÷ 25. ÷ & 13. ÷ 32. ÷; hoc enim quum è lateribus medullæ intra cranium, ubi cerebello adjacere incipit, egrediatur, duplici mox processu, perinde quasi distinctis nervis per foramen

men



TAB. XVIII.

men ossis petrosi ad internas potissimùm aurium partes distribuitur.

Octavum par, olim sextum, & vagum nuncupatum, nascitur triplici propagine, ut idem Eustachius in ossium examine pag. 227. præmonuit, videlicet è lateribus medullæ oblongatæ paulò infra par septimum 14. 27. & 14. 31. Hoc verò nervorum par, postquam cervicis musculis aliquot filamenta donavit, per utrunque ventrem, medium scilicet, & infimum omnibus penè visceribus, usque ad renes, pudenda, & vesicam filamenta sua communicat. Vide tuis oculis progressum hujus paris in abdominis viscera 55. 23. & 60. 35. & 67. 23.; subinde illinc etiam recurrentes nervulos prodire cernes, qui variè per asperam arteriam, laryngem, & pharyngem ludunt 24. 30.

Par nonum linguæ distributum, & ipsius motorium dictum, apparet sinistrâ parte recisum 14. ÷ 30., dexterâ verò integrum 14. ÷ 28. Nascitur elatiori loco supra octavum à lateribus corporum, quæ pyramidalium appellatione donantur, quæque cernuntur in hac Figura 13. 28. ÷ & 13. 29. ÷

Decimum par in ortu suo utrinque recisum apparet ad latera flexuræ paris octavi, ubi minima alba capitula, veluti duo puncta cernuntur. Hi verò nervi jure Willisio dubitationem attulerunt, an ultimi ipsius cranii, an verò primi vertebrarum appellandi sint.

Quicunque deinde Anatomica peritia, & curiositate etiam ad perquirendum ductus fuerit, inveniet in hac Figura absconditum thesaurum. Etenim diligenter animadvertet undecimum forsitan par nervorum ab Eustachio detectum, quod & superiùs cum cerebro, & inferiùs cum pari vago, cumque omnibus penè nervis, qui à spinali medulla proficiscuntur, communionem habet, & mirabili artificio huc illuc cum cæteris connectitur. Vide illius vel originem, vel notabilem insertionem in basi cerebri inter annularem prominentiam, & corpora pyramidalia 12. ÷ 28., & 12. ÷ 30.: ii autem nervi inter patheticos, & oculorum motorios, mox inferiùs reflexi dispertiuntur in duos ramos, qui paulò pòst denuo junguntur, & majorem truncum utrinque ad conjunctionem primæ, & secundæ colli vertebræ efficiunt 16. 27. & 16. 31., unde per universam spinæ longitudinem deferuntur, ac singulis nervorum, ab illa prodeuntium, paribus villos aliquos propè singulas ossium apophyses, usque ad os sacrum intermiscent; perinde quasi nervus hic sensorius, & non motorius esset; scilicet ut, quum fibrillæ nerveæ ad musculos, ad membranas, viscerumque retia pro illorum motibus edendis feruntur, secum semper habeant filamenta alteriùs nervi, qui ad peculiarem cerebri partem, ubi pressionum sensus excipitur, pertingant. Sed hæc injiciendæ duntaxat dubitationis gratiâ à nobis dicta volumus.

Notetur insuper in hac Figura ramus octavi paris vagi dicti, qui ramulo tertii cervicis paris junctus 24. 24. ad musculos intercostales, & ad alias thoracem continentes partes elegantissimè distribuitur 34. 20. & 34. 23.; de qua sanè conjunctione locuti postmodum sunt multi Recentiores. Præterea animadvertantur rami nervorum tertii cervicis paris, qui ad diaphragma descendunt 48. 20. & 48. 25., quique à quarto etiam pari, seu à primo illorum, qui ad brachia feruntur, propagines aliquas mutuantur 23. ÷ 26. & 23. ÷ 32.

Neque autem prætermisit Eustachius in hac eadem Figura indicare foramen 10. 29., quod ad infundibulum aperitur: item duas foraminis proximas glan-

dulas


dulas, ſeu prominentias, quas poſtea Williſius etiam animadvertit, quæque duorum inſtar candicantium punctorum perbellè hîc obſervantur.

Reticemus verò ſingula nervorum paria, quæ à vertebrarum regionibus de ſpinali medulla uſque ad coccygem proficiſcuntur: ſunt enimvero nimis obvia, & moram quærentibus rara poſſunt injicere. Duos ſolummodo præterire non debemus nervos, quos non ſine ſummo conſilio ab Euſtachio delineatos fuiſſe ſuſpicamur; ſcilicet eos, qui à lumbaribus vertebris orti, ſuntque vigeſimiprimi nervorum paris ſurculi, unà cum ſpermaticis ſanguineis ad teſtes, & in mulieribus ad uteri cervicem propè ureteres, & juxta muſculos pſoas diſtribuuntur: hos autem vide in Figura utrinque ad coccygem propendentes 86. 26. & 86. 31. Unde in calculi à renibus per ureteres deſcenſu teſtis retractio, & ſtupor femoris oriri ſolent. Denique animadvertatur in hac Figura, ſpinalem medullam cum vaginantibus vertebris non attenuari, & gracileſcere quò magis ad coccygem vergit, ut Veſalius depinxit, ſed inferiùs craſſeſcere, atque augeri, unde majores ad crura nervi proficiſcuntur. Itaque ex naturæ archetypo ipſe primus, & multi poſtea ſpinalis medullæ icones effinxerunt.

Vide accuratiſſimas annotationes, quas in has Figuras ad nos dedit clariſſimus Morgagnus.

FIGURA I. III. IV. & V. admodum inter ſe ſimiles occurrunt: ſunt enim delineationes cerebri, & cerebelli bifariam per longum diſſecti, in centro ferè medullæ oblongatæ, quæ à cavitate vertebrarum colli evaginata fuit. In iis autem Figuris aliquot nervorum paria ſuperiùs jam adnotata, partim integra, partim in itinere abſciſſa Euſtachius oſtendit.

TA-



TAB. XVIIII.

TABULA XIX.

Delineat nervos omnes qui in viscera, atque artuum musculos anteriori facie distribuuntur.



IN hac Tabula habent non solùm Medici, sed multò magis Chirurgi, quo erudiantur in distributione nervorum, qui ad ventres, & artus anteriori facie demittuntur. Et quidem primùm animadvertantur in fronte nervi 2. 35., utrinque ab orbita exorti, quibus vulnera iis locis periculosiora solent evadere: quemadmodum etiam ex inferioribus palpebris alii, qui tum ad genas 4. $\frac{1}{1}$ 36. $\frac{1}{1}$ & 5. $\frac{1}{1}$ 34., tum ad superius labrum 6. 35. feruntur: similiter ii, qui utrinque ex lateribus mandibulæ inferioris 7. 37. & 8. 34., & ad labrum inferius divaricantur. Spectentur ulteriùs duo nervi, quos jam Tabulâ XV. Figurâ I. Autor demonstravit exporrigi à primis cervicis vertebris usque ad diaphragma 24. 37. Notetur quoque mirabilis progressus illius nervi, quem à cerebri basi ortum in præcedenti Tabula indicavimus progredi cum pari vago, cumque omnibus penè nervis, qui à spinali medulla ad ventres potissimùm proficiscuntur. Hîc autem clariùs conspicitur 9. 39. $\frac{1}{1}$, ubi propè masseterem sub mandibula sinistra egreditur, indeque permisceri observatur cum aliis nervulis, & spargi per ventres, ac per musculos intercostales 20. 40. & 25. 40.: neque porrò desinit ferri ultrò quum ad abdomen devenerit; nam mixtus cum binis prioribus nervis, qui ab ossis sacri superioribus foraminibus egrediuntur 39. $\frac{1}{1}$ 40. ad infernos artus extenditur.

Denique à singulis vertebrarum foraminibus sua quæque nervorum paria prodire, eaque in universum penè musculare, & membranosum genus distribui demonstrat.

Singulare autem est, quod cernimus sinistro thoracis in latere, superstites nimirum internos musculos intercostales, ad vertebras naturaliter non pertingere, ut clariùs ex Eustachii sententia in explicatione Tabulæ XXXVIII. ostensuri sumus; cujus sanè ratio non alia esse videtur, nisi quia costæ quum ipsi spinæ dorsi, tanquam immobili termino, inarticulatæ sint, moveri tamen sursum, deorsumque debeant ad thoracis cavitatem dilatandam, vel constringendam, vires profectò, seu facultates moventes non ad contactus fulcimenti vertebrarum, sed plùs minùs longè admovendæ erant, juxta mechanicæ leges. Quidni etiam suspicari possemus ideo à natura musculos intercostales ad lineam utrinque propè vertebras fuisse detractos, quòd, quum iidem eo loco inutiles omnino essent movendis costis, impedimento forsitan futuri erant chylo per vas thoracicum ascendenti? Hoc enim sæpe ramos utrinque suos ad succlavias producit; nam motus eorum musculorum, quum per varias sectiones sit obliquus ad horizontem, obniti quoquo modo poterat illius liquoris motui, qui apud homines præsertim est perpendicularis; eique magis, quia in sinistro latere ductui thoracico incumbit arteria magna, quæ et ipsa, extrorsum trudens contentum in ductu liquidum satis premit, atque protrudit.

Ut verò peritissimus Eustachius demonstraret, nervos à vertebris egredientes, peculiari lege in musculos intercostales inseri, ac propagari, ostendit in de-

xtero latere detractis jam musculis internis, & relictis solùm externis, nervos inter unam, alteramque costam produci; ita ut iidem nervi externos inter, & internos musculos medii, utrisque suas ramificationes facilè possint dispertiri.

Notentur etiam quatuor insignes nervi, utrinque ex totidem ossis sacri foraminibus exeuntes, qui paulò pòst in unum veluti caudicem coalescunt 41. ÷ 36., & ad femora profundè traducuntur.

Tandem supersedemus singillatim hîc ad examen revocare nervos illos, qui ad artus distribuuntur, quum Lector eorum cursum, progressumque facilè suis oculis possit usurpare.

TABULA XX.

Exhibet posteriori facie nervorum distributionem in musculos totius corporis.



SANE ita eleganter demonstrat Autor exortum nervorum prodeuntium à vertebris posteriori parte, detractis externis à trunco musculis; ut nemo, vel in Anatome hospes, de illorum insertione in factitanda potissimùm Chirurgia possit unquam dubitare.


Facto autem initio à nervis ex cervice procedentibus, observentur capitula incisorum nervorum, qui ad musculum complexum sinistrum 8. ÷ 18. ad splenium 11. ÷ 18., necnon inter extensorem rectum majorem, & obliquos 9. 19. ÷ & 9. ÷ 20. ÷ dispertiuntur.

Mox descendendo ad alios nervos, vide illos, qui ad elevatores scapulæ musculos diriguntur 15. 16., & in musculum rhomboidem terminantur 21. 16. Deinde digrediendo ad artus superiores, observandæ veniunt eæ nervorum propagines, quæ ad utriusque scapulæ dorsum perreptant 19. 14. & 19. 23. ÷, atque dexterâ parte deltoidis interiora penetrant 19. 10. Porrò ad recisos musculos, extensorem quidem longum feruntur nervi 25. 11., ad brevem verò 26. 8.; quorum certè nervorum progressus sub axilla dextera 19. 26.; atque insertio in præfatos musculos 18. 27. & 19. 34. clariùs cernuntur. Similiter eodem in brachio dextero observatur ramus ejusdem paris nervi, qui ad phlebotomos erudiendos demonstratur inseri in bicipitis principium 16. 36., à quo tandem emergens, perforato altero musculo sub 13. 43. fertur ad extensores digitorum.


Sed, redeundo ad posticam ipsius trunci faciem, animadvertantur nervi, qui, à spina prodeuntes, ad varios dorsi, thoracis, & abdominis musculos digeruntur, quos indicare, quippe satis obvios, superfluum reputamus.

Quod verò spectat ad nervos, qui tum ad glutæos utrinque minores musculos, tum ad podicem extenduntur, eleganter apparent delineati. Sed illud præcipuè nos allicit, quod videamus, Eustachium depinxisse nervos ad infernos artus distributos (ut revera sunt) longè majoris molis, quàm sint, qui ad supernos artus amandantur. In dextero autem femore animadversione dignum quoque est, Autorem detraxisse superiores musculos glutæos, & iliacum externum, ut videndum præberet exortum insignis nervi 43. 22., ejusque claram insertionem in posticos tum proximos, tum remotos musculos usque ad plantam pedis.

TA-



TAB. XX.


TAB. XXI.

TABULA XXI.

Videndos præbet nervos, qui à musculis egressi per succutaneas partes ludunt.



QUANQUAM verò, si quis hujus Tabulæ utcunque perspicuas notas voluerit, satis fortè sibi futurum sit cæteras anteriorum musculorum tabulas cum finibus nervorum, qui in præsenti delineantur, comparare; videbit enim singulas propagines villorum, qui desinunt in singulas ferè lacertorum sectiones, illinc egredi. quoniam tamen Chirurgos potissimum hìc loci erudire est animus; idcircò non incongruum arbitramur nonnulla sparsim diligentiùs investigare.

In primis verò animadvertatur nervus, quem meritò suspicamur esse duriusculam illam auditorii portionem, quæ ab internis ad externa aurium progreditur. Hic autem nervus ponè lobum egrediens 10. 35. in duos statim finditur ramos, alterum, qui ad inferiores partes, puta parotidem 11. 35., & musculum præsertim depressorem labri inferioris descendit, alterum contrà, qui 9. 34. -|- ad superiores ascendit, nimirum ad musculos zygomaticum, ad temporalem, atque ad auris elevatorem.

Deinde ob oculos venit ramusculus paris vagi 7. 38. -|-, qui similiter bifariam partitus villos aliquot supernè mittit ad musculum quadratum occipitalem 6. 38., quorum causâ dolor posteriora capitis cùm in hystericis, tum in hypochondriacis interdum corripit, quod Tabulâ XXXI. clariùs forsitan explicabimus.

Neque interim prætermittenda videtur series aliorum nervorum, qui ex primis colli vertebris nati ad anteriores musculos, præsertim verò ad mastoidæum, ac deltoidem feruntur.

Quod verò ad reliquos nervos attinet, qui vel per artus, vel per superficiem tam thoracis, quàm abdominis disseminantur, non multis immorandum esse putamus: ii enim adeo evidenter inspicientibus occurrunt, ut nullâ egeant expositione.

TABULA XXII.

Cutaneos, sed posticos sanguineos canales delineat.





VASA sanguinea omnis generis, quæ à subjectis cuti musculis copiosissima emergunt, posteriori tantùm corporis facie exhibentur in hac Tabula; nimirum ut tam Medici, quàm Chirurgi non levem utilitatis fructum inde capere valeant. Nam

Postquam viderint adeo numerosam vasorum familiam ab internis visceribus ad universa corporis integumenta derivari, facilè poterunt sibi persuadere, quàm copiosa esse debeat in homine sano insensibilis perspiratio, & quale pariter emolumentum ægris accedat ex sudore, atque alio quovis ad cutim decubitu. Iidem propterea admonentur, ut sæpiùs frictionibus, cucurbitulis, fotibus, balneisque utantur; hæc enim validè possunt universo sanguini tum motum, tum fluiditatem, tum vel maximè depurationem impertiri.

Cæterùm ex hac postica Figura unusquisque metiri poterit uberem segetem eorundem vasorum, quæ per anticam sub cute distribuuntur. Animadvertant tamen non in singulis hominibus eâdem lege, & numero vasa hæc ad corporis peripheriam dispertiri. Etenim sunt, ac præsertim obesi, qui rarioribus, & profundioribus, magisque exilibus succutaneis vasculis præditi sunt; sunt graciles, & rubicundi, quibus & majora sanguinea, & majori numero natura largita est.

TA-


TAB.
XXII.


TAB. XXIII.

TABULA XXIII.

Proponit nervos, qui per posticam totius corporis superficiem disperguntur.



Odò Autor nervorum distributionem in posticas corporis partes delineat, quemadmodum Tabulâ XXI. exhibuit nervorum, qui feruntur per anticas. Itaque in gratiam tum Physicorum, tum vel maximè Chirurgorum pauca hinc etiam adnotabimus.

Observetur idem duriusculus auris nervus, qui in hac Figura, detracta externa aure, evidentiùs apparet ludere per musculos faciei, & potissimùm elevatorem auris, necnon temporalem, atque ad posteriora etiam occipitis deferri; unde contusiones, & vulnera, etiamsi levissima, in capite non modò propter internas partes, sed propter hos quoque nervos non esse spernenda, vel noster Hippocrates forsitan fassus est; imò verò conjungi videtur, ac penè inseri cum ramusculo nervi, qui trapetii fines 7. -|- 21. perforans sursum vagatur per occiput, & ad quadratos etiam musculos dirigitur. Hujusmodi autem nervorum conjunctio perspicuè notatur sub 6. -|- 23.

Reliquas verò nervorum divaricationes, utpote sensibus magis obvias, Lectoris industriæ libentissimè remittimus.

TABULA XXIV.

Arterias, & venas intimè diſtributas per poſticas corporis partes oſtendit.

NCIPIAMUS itàque à ſanguineis, quæ ad tempora, & occiput ex profundioribus carotidum, & jugularium ramis egrediuntur 11. 26. & 11. 30., quæque per ſuperiorem etiam partem muſculorum ſplenii, & complexi divaricari ſolent.


In collo autem patent vaſcula, quæ ſub exaratis muſculis, per interiora ſpinati, & ſcapularium muſculorum diſtribuuntur 17. ÷ 25.

Deinde opere pretium cenſemus admonere, ſub axilla præſertim ſiniſtra ab Autore demonſtrari duplex genus vaſorum ſanguineorum, probabiliter tam deferentium, quàm referentium; minorum quidem 21. ÷ 20.; majorum verò 23. 19. ÷ Vides itaque vaſcula diſpertiri ex minori ramo ad muſculum deltoidem 20. 18., & ad ſcapulæ confinia 23. 21., necnon ad majores pectoris muſculos 26. 21. Vides mox tum ex minoribus, tum ex majoribus truncis ramos ferri ad principium extenſoris longi 23. ÷ 18.


In dextero pariter brachio eadem occurrunt vaſcula, ſed profundiùs, longiùsque exporrecta; quinimo utrorumque inoſculationes 20. ÷ 38.

Præterea diligenter conſideretur, Euſtachium infernis in artubus oſtendiſſe originem, progreſſumque majorum vaſorum, quæ à ſumma, & poſtica femoris parte, demptis glutæis, cæteriſque flectentibus tibias, gemello inſuper, & ſolæo, feruntur ad muſculos pedis; quæ quidem omnia, quum per ſe oculis pateant, nullo commentario indigere videntur. Id ſolùm phlebotomos docere non prætermittimus, ne ſcilicet in delectu ſecandarum venarum pedis adeo ſint ſoliciti, quum cernant ab uno, eodemque caudice multos huc illuc ramos diſpergi. Quamobrem, ubi vena tumida tangitur, atque ab arteria diſtat, ibi tutò ſauciari poteſt.

TA-



TAB. XXIV.



TAB. XXV.

TABULA XXV.

Apertis infimo, & medio ventre usque ad jugulum, necnon detractis communibus tegumentis ab universo corpore, proponit observanda majora vasa sanguinea, quæ undequaque suos abeunt in ramos.



AUTORIS consilium non aliud fuit, quantùm nobis conjicere licet, in hac Tabula, nisi ostendere, detractis penè omnibus extis à thorace, atque abdomine, originem magnorum vasorum sanguineorum, ac potissimùm venæ cavæ, & arteriæ magnæ à corde, à quo in totum corpus distribuuntur. Vide cor pendulum à cava 28. 31. Jugularem externam dextera parte recisam 22. 26. ÷ Jugularem internam 21. 27. ÷ Succlavias 23. 28. & 23. 30. Axillares inde ortas 23. 23. & 23. 35. Cephalicam utramque 19. ÷ 11. & 19. ÷ 48. Medianam dexteram 21. ÷ 11., sinistram pariter 20. 51. Basilicam dexteram 22. ÷ 15. Delineat quoque venam cavam inferiorem cum emulgentium ramis 37. 27. & 37. 31. ÷ Arteriam similiter magnam descendentem naturaliter diaphragmate obtentam à 35. 30. usque ad 29. 29. (Diaphragmatis autem abscissus videtur fuisse limbus, & portio anterior usque ad cavam, quò meliùs, tum hæc, tum redeuntes in ipsam phrenicæ venæ per inferiorem septi partem observentur; conspicitur autem hîc diaphragma, ut pictores loquuntur *di sotto in sù*) Iliacas tum arterias, tum venas, quæ mox in crurales abeunt, 41. 29. & 41. 30. Cæterùm mirabilis vasorum contextus ad penis radicem, ipsumque penem considerandus venit 52. 29. ÷

TA-

TABULA XXVI.


Venas exhibet, quæ per duos infernos ventres, necnon per artus anteriùs spectatos feruntur.




UPERIORI similem sanguineorum vasorum figuram, & progressionem Autor ostendit, clariùs hîc tamen, quia detractis omnibus thoracis, & abdominis visceribus, multa, quæ à superpositis extis occultantur, liberè possumus intueri. Sed illud maximè hac in Tabula diligenter attendere oportet, quòd Eustachius, Vesalio coævus, ad veras partium structuras demonstrandas eòusque impiger fuit, ut, ubi errores illius detegere potuit, nullis laboribus pepercerit. Hîc glandulam thyroidæam, non ut Vesalius, rudem, ac duplicem, sed unicam, simplicemque, licèt bifurcatam, quemadmodum revera est, sedulò depingit. Glandulam itaque vides 16. 30.; bifurcationem verò illius 15. -¦ 30. Laudandus verò noster Autor, quippe qui antevertit etiam studium clarissimi Morgagni, à quo cùm figuram, tum structuram hujus glandulæ suis in Adversariis miramur expositam, & commendamus. Quinimo reticendum minimè est, non solùm subtilem, verùm etiam accuratissimam vasorum in glandulam ipsam insertionem, ab Eustachio hìc loci positam ob oculos fuisse: non enim satis ei fuit surculos venosos illinc deducere, ut Bartholinus, Diamembroëchius, & alii fecerunt; sed arterias potissimùm, nimirum 18. 29. & 18. 30., illuc, quemadmodum suapte natura contingit, studuit dirigere; quæ certè omnia sine magna nostri Autoris laude nemo poterit præterire.

Præcipuè verò intueamur majora vasa circa præcordia; scilicet venam cavam, supra cor amputatam 21. -¦ 29. Similiter arteriam magnam 22. 30. Venam priscis sine pari suo in situ dextero 23. 28. -¦ De qua, & de sorore dextera fusè egit in libello de Renum structura cap. 16. pag. 67., & varias icones tum Tabulâ IV. primis tribus Figuris, tum in sequenti exhibet. Deinde in gratiam Phlebotomorum animadvertimus situm venarum in flexura brachii: nimirum venam cephalicam 19. 12. Basilicam, cui subest arteriæ ramus 22. 16.

Reliqua verò, quæ præsertim infernis in artubus cernuntur vasa, ita Medicis, ac Chirurgis nota esse censemus, ut non egeant explicatione.


TAB.
XXVI.



TAB. XXVII.

TABULA XXVII.

Ostendit varias distributiones, complexiones, & inosculationes sanguineorum, non in abdomine, ac thorace solùm, sed in artubus quoque.



IGURA I. exhibetur truncus venæ cavæ inferioris cum ramis venæ portæ per jecur distributis. Vena cava immediatè sub diaphragmate abscissa 2. 12. Ejusdem alterum segmentum supra renes 12. 13. Majores venæ portæ rami substantiam hepatis penetrantes 13. ÷ 12. Duo arteriarum ramusculi ex cæliaca in idem jecur distributi 12. 11. Vena umbilicalis ad ostium jecoris dissecta 11. 14. ÷, quæ cum ramis venæ portæ facto semicirculo 8. ÷ 12. inosculatur.

FIGURA II. & IV. sub aspectu ponit complexum arteriæ cæliacæ; & venæ portæ, quæ per mesenterium, & mesocolon usque ad podicem variè divaricantur: quæ quidem Figuræ præ admiratione me suspensum tenent, quum in iis ad veritatis modulum videam vasa semicirculares convolutiones efformare, quas nullus alius, tametsi recentissimus Anatomicus, adeo affabrè delineavit. Has verò circumvolutiones, ut ad facilem liquidorum circulum in arborum foliis natura paravit; ita in animalium corporibus non neglexit, ubi sanguis præ multitudine venarum de sua velocitate ad maximos usus, sed potissimùm ad bilis secretionem in portæ ramis non parum debuerat remittere, sed è contrario periculum imminebat, ne nimiam moram intra abdomen pateretur.

Duæ autem eæ Figuræ parum inter se diversæ videntur: nam discrepant solùm, quòd Figura II. majori vasorum numero ditetur, quàm IV.; itaque, si secundam descripserimus, quartam pariter illustratam habebimus. Ostenditur vena portæ intra viscus secta, ubi tres insignes ramos in cavam jecoris partem dispensat 3. 41.; duo ramusculi arteriæ cæliacæ in hepar ascendentes 4. ÷ 43.; totidem rami majores venæ portæ infra jecur 6. 41. & 6. 43., ramis arteriæ cæliacæ associati, & per abdominis viscera quaquaversum distributi; factoque initio à superioribus, qui ad sinistrum, quod appellant, superius ventriculi orificium, exporrecti, illud utrinque amplexantur 4. 45. & 4. 55. Occurrunt vasa dicta brevia 8. ÷ 53., quæ in venam splenicam 8. 50. exonerantur; gastro-epiploica, quæ semicirculum effingit 15. 45.: in quam notetur ab interna regione vascula à ventriculi fundo sanguinem regerere, ut ab externa facie, quæ ex omento sanguinem referunt. Ea verò, quæ inferiùs circumvoluta cernuntur sunt vasa mesenterico-intestinalia 17. 35. & 17. 55. & 21. 37. & 21. 51. Vasa denique hæmorrhoidalia interna 28. 45. Hæc tamen per dissectionem in puerulis administratam clariùs, quàm in adultis patefieri docuit Autor antigram. 8. de Vena sine pari pag. 281.

FIGURA III. delineat venam cavam inferiùs amputatam sub diaphragmate 29. ÷ 6.; hiatum, quo cum dextera auricula connectitur 26. 7.; ramos suc-

clavios 22. 6. & 22. 8.; jugulares internos 21. $\frac{1}{1}$ 6. & 21. 8. $\frac{1}{1}$, & externos 21. $\frac{1}{1}$ 5. & 21. 9. $\frac{1}{1}$ utrinque dissectos.

FIGURA V. VI. & VII. demonstrant diversas propagines venarum sine pari, quæ tantorum apud Priscos certaminum causæ fuerunt, quarum inferiores iconum partes, atque explicationes dedit idem Eustachius Tabulâ IV. primis tribus Figuris; ad quas sciendi cupidos libenter mittimus.

FIGURA VIII. & IX. videntur altera arteriam, altera venam, quæ ad brachia feruntur, delineare; nempe Figura IX., utpote simplicior, arteriam; VIII. verò, quæ ramis majoribus conserta est, venam potiùs præseferre.


FIGURA X. & XI. nos diu incertos, dubiosque detinuerunt, nimirum quid sibi Eustachius per eas significare voluerit. Tandem quum fortè fortuna in ejusdem syntagma de Vena, quæ Azygos dicitur, antigram. 12. pag. 294. incidissemus; perspicuum lumen ad obscuram hanc rem illustrandam accepimus: ex nanque Figuræ ostenduntur duas venas cavas 47. 31. & 47. 39., quæ intra thoracem echini, & muris non sunt simplices, sed geminantur, ipsumque cor medium tenent; hiante ad dexteram orificio venæ cavæ 52. 34. $\frac{1}{1}$, quo sanguis intra dexteram auriculam, & ventriculum cordis ingeritur. De hac verò cavæ in echino divisione nos etiam aliquid, fortè non vulgare, dabimus in Tractatu nostro de Corde.

FIGURA XII. venas, & arterias à subclaviis ortas, delineat, quæ usque ad abdomen, & hypogastrium sparguntur, ramis hinc inde distributis ad mammas, ad singula costarum intervalla, & mediastinum, ac musculos pectoris.

FIGURA XIII. demonstrat complexum trium magnorum pulmonis vasorum, bronchiorum nempe, arteriarum, & venarum, quorum singulæ ramificationes conjunctim per viscus sparguntur. Ab hac profectò icone plura Medici doceri possunt, quæ nos etiam pro viribus rimabimur in Tractatu nostro, ubi de præcordiis agemus. Aspera arteria 65. 29. Rami bronchiorum 71. 28. & 71. 30. Reliquorum interim explicationem sanguineorum repete ex Notis, quas dedimus Figura V. Tabula XV., eo solùm discrimine, quòd hîc vasa per pulmonum substantiam distributa, ibi verò abscissa ostenduntur.

FIGURA XIV. & XV. majora, & minora sanguinea femoris, & pedis delineant, quorum ramos non est consilium hîc singillatim explicare, præsertim, quum non pauci ex Lectoribus notas per se ipsos facilè concinnare possint.

TA-



TAB. XXVIII.

TABULA XXVIII.

Musculos ferè omnes exhibet, qui anteriori totius corporis facie, detractis communibus integumentis observari possunt.



RIMÒ quidem demonstrat in parte anteriori capitis singulos musculos, quorum examen ad Tabulam XLI. rejicimus; contenti nunc summam ostendisse peritiam, ac sedulitatem nostri Autoris, quam in artuum præsertim musculis evidentissimè patefaciendis adhibuit. Nam, mittentes quòd in dextera manu musculos interiore parte, in sinistra autem exteriore distinxit, atque non absimilem curam in femoribus, & cruribus suscepit, sequentia nobis peculiari animadversione digna videntur.

Primò, quòd fibras pectoralis musculi, majoris appellati, elegantissimo ordine à thorace in brachium ea lege inseri patefecit, ut eas cum deltoidis fibris utrinque ad mutuum contactum, & quasi commistionem pervenire demonstret 21. 20. & 21. 41.: nimirum, ut doceantur Anatomici, deltoidem succenturiari etiam musculo pectorali, ac vicissim, quum brachium est adducendum quidem, sed versùs superiora.

Secundò, quòd ipsius deltoidis lacerti in tres veluti manipulos in lævo humero occurrunt; quemadmodum Tabula, præsertim XXXV., in quatuor, aut quinque dividit: unde, hic musculus ex pluribus quasi musculis coagmentari dicendus est, potissimùm si posticas etiam ejusdem partes adjungamus: quo sanè argumento maximè laudandus venit Eustachius, quum anteverterit observationem Nicolai Stenonis, qui postea eundem deltoidem in 12. simplices musculos dividi posse asseveravit. Neque sanè ab experimento evidens ratio abludit: etenim quum musculus deltoides brachium sursum quidem, sed ad varias partes dirigere debuisset, illum natura ex variis locis, & variis etiam fibrarum complexionibus deduxit, ac roboravit.

Tertiò, quòd tendo palmaris musculi ad volam appropinquare ostenditur non vinctus quidem sub annulari ipsius carpi ligamento, ut in plerisque Anatomicorum figuris delineatur, sed ad majus tutamen per peculiare foramen, in centro ligamenti apertum, trajicitur, 38. 7.

Quartò, quòd in dorso sinistræ manus exhibetur observandum, tendines extensores trium minorum digitorum simul invicem ipso in itinere ad idem officium procedentes colligari 45. 47. Quod sanè ab aliis, quantùm noverim, prætermissum fuit.

Quintò, videndas se se præbent in hac Tabula productiones peritonæi, quæ perforatis utrinque abdominis musculis 41. 29. & 41. 33., ad scrotum munitæ quidem cum fibris rectis descendunt.

Sextò, animadvertenda vicinitas mirabilis, ac veluti conjunctio tendinum trium musculorum, sartorii nempe, gracilis, & seminervosi, qui ad tibiam diversimode flectendam sunt destinati: quod sanè studium partes quascunque subtiliter, sed verè dissecandi, & ostendendi, à paucis adhibitum, & posteris deinceps imitandum studiosè proponimus. Hujusmodi autem connexio, atque insertio cernatur sub genu in anteriori, atque interiori tibiæ osis parte, ad mediam usque spinam 65. 20. & 65. 33.

Postremò reticendum non erit novum Eustachii studium, quo, non contentus osten-

oſtendiſſe ſolitum ligamentum in tarſo, colligans tendines muſculorum extendentium digitos pedis 80. ÷ 21. & 83. 34., addit etiam aliud, ab Anatomicis in Tabularum delineatione prætermiſſum, quo ſub malleolo interno vinciuntur tendines muſculorum extenſoris longi digitorum, tibiæi poſtici, & flexoris pollicis 81. 23.: cujus rei multò elegantiorem iconem præbebit ſequens Tabula XXX.

Sed, incipiendo à demonſtratione muſculorum, qui in hac Tabula apparent (illis omiſſis, qui in vultu animadvertuntur; quippe quos clariùs exhibebit, ut ab initio monuimus, Tabula XLI.) obſerventur primò utrinque deltoides 19. 20. & 19. 40., & pectoralis major 25. 28. & 25. 34., qui humero antrorſum movendo dicati ſunt.

Deinde biceps, & brachiæus internus, qui ſimul cubitum flectunt; biceps nempe cum duplici principio tam in dextero 25. 16. & 25. 18., quàm in ſiniſtro brachio 25. 40. & 25. 42.; brachiæus verò internus 30. 15.

Tertiò muſculi, qui cubitum extendunt, nimirum longus 25. 21., brevis 26. 45., brachiæus externus 27. 18. ÷, & anconæus 29. 46.

Quartò radii pronator longus, ſive rotundus 31. 15.; ſupinator verò longus 32. 11. & 32. 43.

Quintò muſculi, qui carpum extendunt, nempe radiæus externus 32. 44., cujus portio vix diſtinguitur in parte dextera 33. 9. ÷, & cubitæus pariter externus 33. 46. ÷ Qui verò eundem carpum flectunt ſunt cubitæus internus 37. 10. & 37. 47. ÷, & radiæus internus 33. 13.

Sextò, inter muſculos extremæ manus ſe ſe offert muſculus palmaris, cujus principium 32. 16., per volam manus in tendinem expanditur 40. 5.

Tendines muſculorum extendentium pollicem 37. ÷ 5. ÷ & 40. 44. ÷

Tendo ejuſdem pollicis adductor 39. 4.

Extenſor magnus digitorum 35. 45.

Ligamentum carpi 41. 45.

In artubus verò infernis inter ſemoris flexores enumerantur iliaci interni, quorum tendines conſpicui ſunt ſub 42. 27. & 41. 34., & pectinæus uterque, dictus etiam lividus 44. 28. & 44. 33.

Femur adducunt tricipites muſculi, quorum primum principium 48. 27. & 48. 33., alia verò hujus muſculi initia ſub cæterorum muſculorum mole latent.

Procedentes ulteriùs; tibiam extendunt muſculi recti 52. 21. & 52. 36.; vaſti externi 54. 18. & 54. 38.; & vaſti interni 57. 20. & 57. 34.

Inter flectentes verò eandem tibiam apparent gracilis 52. 26. & 52. 32., atque ſeminervoſus 57. 24.

Adducit tibiam ſartorius 55. 23. & 55. 33.

Abducit eandem tibiam muſculus membranoſus, faſcia lata nuncupatus, cujus principium 40. 23. & 40. 38.; pars verò ejuſdem carnoſa 44. 22. & 44. 38.

Flectunt pedem inter alios muſculos tibiæi antici 72. 19. & 72. 34.


Extendunt autem eundem pedem antagoniſtæ duo muſculi, nempe bini ſurales, ſeu gemelli (Græcis Gaſterocnemii) quorum exterior gemellus appellatur 67. 23. & 67. 32., interior verò ſolæus 72. 22. & 75. 32.

Adducitur pes à tibiæo poſtico, cujus extremus tantùm tendo viſitur ſub 80. 23.

Digitorum extenſor longus apparet 77. 23. & 74. 35.

Tendo autem muſculi extendentis pollicem deſinit ad 85. 18. ÷; flectentis verò tendinis pars extrema cernitur 83. ÷ 23.

TA-



TAB. XXIX.

TABULA XXIX.

Exhibet posticos totius corporis musculos, qui ablatis communibus integumentis potissimùm apparent.



N primis verò animadvertendi sunt duo musculi in occipite figurâ quadratâ, de quibus Tabula XXXI. peculiariter tractabimus.

Deinde, detracto musculo trapezio, seu cucullari dextero, superest solùm sinister 23. 28. & 13. 27.; de quo tametsi acturi simus Tabula XXXIV., est tamen, ut obiter Lectorem hîc admoneamus, ne prætermittat sedulò animadvertere, trapezium in quindecim sectiones, seu peculiares lacertos dispertiri, qui omnes coëunt in communem tendinem 17. 24.-÷ Hoc sanè docere videtur, naturam maturè consultum voluisse musculi hujus tum conservationi, tum usui; scilicet ut is, non exigua alioqui sua in longitudine, necessarium robur tueretur; &, juxta varias vel supernas, vel medias, vel infernas, vel simul omnes movendarum sectionum leges, seorsum, vel conjunctim prædicti motus possent celebrari. Idem profectò observandum velim in musculis glutæo majori, & dorsi latissimis; qui pariter in varias sectiones divisi conspiciuntur.

Prodeunt verò inter musculos caput extendentes splenius 10. 30., & complexi; quorum extremitates tantùm superiores apparent 9. 26. & 9. 28. Inter illos verò, qui caput flectunt, cernitur mastoidæus 13. 31. ÷

Observatur insuper musculus patientiæ, seu levator scapulæ proprius 16. 32., rhomboides eandem scapulam retrorsum trahens 20. 31., & articulatio claviculæ dexteræ 16. 34., cum scapulæ summitate 16. 37.

In brachio dextero (dempto deltoide, quem in sinistro cernimus 20. 20.) patet musculus rotundus minor 19. 35.-÷, qui unà cum rotundo majore, & dorsi latissimis 30. 25. & 30. 35., ad retrahendum caput humeri in partem posteriorem inservit; de rotundo majore in Tabula XXXVI. agemus; deinde extensores cubiti, nimirum longus 24. 38., & brevis 24. 39. Cæteri verò, qui ad extremam manum tam lævam, quàm dexteram feruntur usque in digitos extendendos, per se patent; in quibus tamen despicienda minimè est connexio tendinum extensorum in dorso manus sinistræ 43. -÷ 4. -÷ & 43. -÷ 5. -÷ & 43. -÷ 6., de qua in præcedenti Tabula sermo jam habitus est.

Postremò ad infernos artus descendendo, se in conspectum dant musculi aliquot, femur retrorsum ducentes, nempe duo glutæi, major 45. 25., & medius 41. 35.: subinde apparent, qui idem femur extrorsum trahunt, scilicet ex quadrigeminis iliacus externus, seu pyriformis 43. 32., quadratus 46. 34., & reliqui duo, qui inter pyriformem, & quadratum conspiciuntur.

Animadvertuntur quoque aliquot musculi, qui tibiam flectunt, nimirum biceps 55. 32., & semimembranosus 55. 31.; deinde musculus membranosus, qui tibiam abducit 55. 18.; tertiò inter extensores tibiæ vasti externi 55. 21. & 55. 35.

Inferiùs verò in situ delineantur musculi surales, dicti etiam gemelli, quorum alter externus est 75. 22., alter verò internus; solæus quoque nuncupatus 75. 33.; tendo suralis externi recisus 80. 31., & musculus plantaris 66. -÷

32. ÷,

32. $\frac{\cdot}{\cdot}$: de quibus in præcedenti Tabula abundè egimus, & denuo tractabimus in Tabula XXXIV.

De reliquis musculis tam flectentibus crus, quàm extendentibus pedem, quos in hac Tabula inspector observat, non arbitror operæ pretium fusiùs differere; quum alio loco à nobis vel animadversi, vel animadvertendi sint, illosque facilè quisque, dissectionis utcunque peritus, oculis suis possit usurpare.

TABULA XXX.

Ostendit anteriorem, & paulò lateralem totius corporis prospectum, detractis solummodo communibus integumentis, ut, qui in superficie apparent musculi facilè videri possint.



SI quid in hac Tabula peculiari dignum est animadversione, primo loco censenda sunt, figura, & situs illius musculi, Galeno platysmamyodis 20. 26., qui à plerisque Anatomicis negligitur. Est autem muscularis membrana, à pectoris osse, & claviculâ sursum ascendens ad inferiorem maxillam, ad quam deprimendam dirigitur: quem porrò & esse, & quo loco situs sit operæ pretium est, ut sciant præ cæteris Tonsores, qui, quum ad aperiendas venas jugulares adhibentur, sæpe ob ignorationem hujus musculi, vulnus non quidem per directionem fibrarum, quæ longitudinales sunt, sed transversum infligunt; quo fit, ut convulsio ejusdem musculi suboriatur.

Neque est omittendum in hac Figura, quod Tabulâ XXVIII. monuimus, exigua nempe tam peronæis anticis, quàm posticis, peculiaria ligamenta dedisse naturam, atque eo quidem mirabiliori artificio, quòd sub malleolo externo non unico, sed duplici ligamento, veluti canaliculo 88. 31. & 89. 31. $\frac{\cdot}{\cdot}$ usa fuerit, ne scilicet tendines in violentis motibus corporis, talo innitentis, ab invicem distraherentur.


Verùm, ne cæterorum musculorum demonstrationem neglexisse videamur, brevì solummodo indicatis musculis mastoidæo 16. 27., frontali 10. 29., & aliis, in facie apparentibus, quippe qui ab Autore majori cum diligentia in Tabula XLI. ostenduntur

Observemus primò aliquot musculos, qui ad humerum pertinent. Hi sanè sunt deltoides 19. 18. & 25. 36., & pectoralis major, aliàs pentagonæus 30. 25. & 30. 30. qui brachium flectunt; necnon rotundus major 24. 15., & latissimus dorsi 33. 19., qui idem deorsum ducunt. Apparet quoque serratus anticus major 32. 21., quem aliqui dilatare pectus, aliqui verò scapulam deorsum deducere credunt.

Deinde animadvertamus nonnullos musculos, qui cubitum flectunt, cujusmodi est biceps 18. 13. & 32. 40., & brachiæus internus 15. $\frac{\cdot}{\cdot}$ 7. & 34. 40. $\frac{\cdot}{\cdot}$ Ii verò, qui extendunt, sunt longus 22. 13., brevis 21. 13., ferè in conjunctione apparentes, necnon brachiæus externus 19. 11. & 33. 38.

Tertiò exhibentur musculi ad radium spectantes; scilicet pronator longus, aliis rotundus 14. 6. & 36. 43., & supinator longus 14. 9. & 33. 44.

Quartò



TAB. XXX.

Quartò cubitæus internus 10. 7. & 40. 46., & radiæus internus 13. 7., qui carpum flectunt, & radiæus externus 37. 48., qui illum extendit, cum ligamento ejusdem carpi 7. ÷ 15.

Denique occurrit musculus palmaris 10. 10. & 37. 41., cum ipsius tendinis expansionibus 6. 17.: item pollicis tum flexor 38. 46., tum adductor 42. 54., unà cum tendinibus extensoribus 40. 52.

Descendentibus verò ad infernos artus, cernitur primo loco ex musculis tibiam abducentibus, membranosus, seu fascia lata 58. 28., cujus principim apparet 45. 21. Hic sanè musculus partim est carnosus, partim membranosus; extenditurque per totam natium superficiem.

Insuper offendimus tibiam flectentes, nimirum bicipitem 65. 29. & 65. 19., semimembranosum 66. 21., seminervosum 64. 21., & gracilem 66. 28. & 64. 20.

Tertiò sartorius tibiam adducens distinguitur sub 66. 22., cujus principium emicat 49. 26. & 49. 28.

Quartò musculi se produnt eandem tibiam extendentes, nempe rectus 56. 30. & 65. 26., vastus internus 68. 23.

Apparent ulteriùs musculi, qui movendo pedi sunt destinati, & primò tibiæus anticus 73. 33., & peronæus anticus 84. 30. ÷, ambo flexores.

Secundò duo surales, seu gemelli, nempe externus 75. 14. & 75. 29., & portio interni, qui etiam solæus dicitur 75. 31. & 79. 11.

Tertiò peronæus posticus pedem abducens 80. 31. ÷

Quartò tibiæus posticus eundem pedem adducens 80. 11.

Tandem delineatur flexor magnus digitorum 84. 6., & eorundem extensor longus 80. 32. ÷; quinimo alter ejusdem extensoris tendo 90. ÷ 34.

TA-

TABULA XXXI.

Patefacit exteriores musculos, qui posteriori totius corporis facie, detracta cute, statim, suis tamen vestiti membranis, se se offerunt.




Æc sanè Tabula ponenda erat loco XXIX.: exhibet siquidem superficiem omnium nondum denudatorum à propria tunica musculorum, qui posticâ corporis parte videri possunt unà cum peculiaribus ligamentis, & ansulis, quæ tum in carpo 7. 43. -|- & 40. 8., tum in tarso 81. 51. & 83. 26., ac sub malleolo 81. 53. & 85. 28., animadvertenda monuimus Tabulâ præcedenti.


Est quidem ut nusquam non extollamus Eustachium suæ ætatis quovis Anatomico peritiorem; quippe qui hoc etiam loco depingit duos musculos quadratâ figurâ, qui in occipite ad pericranii contactum positi sunt, finitimi sanè musculis trapetiis 20. 34. & 20. 40., spleniis 15. 33. -|- & 15. 37., complexis 13. -|- 33. -|- & 13. -|- 36., necnon posterioribus aurium musculis 11. 38. -|-, quos è lateribus ferè contingunt. Cadunt autem quadratus sinister sub 12. 33., dexter verò sub 12. 36. Et quoniam horum musculorum nemo hactenus (quod sciam) inter antiquos, vel recentiores iconem exhibuit, tametsi horum Thomas Bartholinus, ea tamen lege meminerit, ut non semper, sed aliquando inveniri constituat; idcirco operæ pretium ducimus de iisdem aliqua saltem obiter nunc disserere.

Oriuntur porrò ejusmodi musculi (ut autopsiâ nobis in cunctis, quos dissecuimus, constitit) carnoso principio utrinque ad os occipitis; & latis tendinibus rectà sursum feruntur versùs lambdoidalem suturam. De illorum itaque usu, donec acutior quispiam meliora afferat, conjectare nobis licet, eosdem in postica calvariæ parte eodem planè officio fungi, ac quod anteriori musculo frontali tribuitur. Postquam enim hic sursum contraxerit anticam capitis partem, quam frontem dicimus, & aurium musculi simul etiam laterales, atque aliquo modo posticas capillatas partes crispaverint; ab hujusmodi occipitalibus musculis, veluti ab antagonistis, ad inferiora eædem posticæ cutis partes citò reducuntur: id quod in semetipso unusquisque facilè tentare potest; quum in nobis non semel periculum fecerimus. Fortè hi sunt musculi, qui in hystericis potissimùm mulieribus sæpe plùs justo contracti, tensique, dolorem in occcipite, apud Hippocratem identidem memoratum, inducunt.

Præterea in utriusque manus dorso hæc eadem Figura luculenter demonstrat extensores tendines digitorum inter se mirè colligari 5. 41. & 43. 6.

TA-


TAB. XXXI.


TAB.
XXXII.

TABULA XXXII.

Ostendit musculos anteriori, & lævo corporis prospectu statim sub communibus velamentis visendos.



HORUM autem musculorum alii sunt faciei, ossis hyoidis, & colli; alii verò pectoris, & brachiorum; alii denique abdominis, & infernorum artuum. Et quidem in facie objicitur, præter frontalem, temporalem, & ciliarem, etiam auris elevator; de quibus tamen omnibus Tabulâ XLI. diligenter, accuratèque disseremus.

Primùm itaque oculis subjicitur pyramidalis sinister, ad nasi alas dilatandas pertinens 7. 27. $\div$

Deinde zygomaticus, qui gelastes etiam, seu risor appellatur, adducitque angulum oris versùs aurem 8. 30.

Tertiò vides biventrem, unum nempe ex musculis inferiorem maxillam deprimentibus, elegantissimè delineatum; cujus inferior venter cadit sub 12. 29., superior autem 10. 32. Sed, quod miram Eustachii diligentiam ostendit, qua & Priscos, & Recentiores in delineandis Tabulis vicit, illud certè est, quòd demonstrat locum, seu foramen musculi stylohyoidæi, per quod trajicitur medius tendo prædicti biventris 12. 30.

Quartò mastoidæum sinistrum ad caput flectendum cum duplici principio 18. 30. $\div$ & 18. 31. $\div$, dexterum verò 18. 28.; de quibus vide infra Tabula XXXV., ubi nonnullas fusè damus ex ipsomet Eustachio annotationes. Admonendum est autem hoc loco, stratum fibrarum, cadens sub 12. 31., non esse partem continuatam mastoidæi sinistri, qui ascendit ad processum mammillarem ea præditus gracilitate, quam Autor diligenter demonstrat 13. 27., sed esse superius segmentum musculi, qui dicitur longus colli.

Quintò utrunque sternohyoidæum 16. 29. & 16. 30., nimirum quintum par musculorum ossis hyoidis, quod ejusdem basim colligat, &, quum opus fuerit, deorsum movet.

Sextò cernuntur ambo musculi coracohyoidæi, digastrici etiam dicti, qui, à lateribus basis ossis hyoidis nati, in omoplatæ apophysim coracoidem inseruntur, trahuntque deorsum ad latera idem os hyoidis; dexter sanè 17. 37., sinister verò 17. 33.

Septimò sub musculis sternohyoidæis apparent extremitates musculorum sternothyroidæorum, qui bronchiæi quoque nominantur, & laryngis depressionem promovent 18. $\div$ 29. $\div$ & 18. $\div$ 30., de quibus Tabulâ XLI. elegantiorem delineationem, & accuratiores notas dabimus.

Octavò musculus scapulæ elevator proprius, dexter 16. $\div$ 26., & sinister 16. 33., cernitur facie duntaxat anteriori.

Nonò indicandum ducimus musculum deltoidem in duos laterales lacertos divisum; nimirum 21. 39. & 21. 41.

Mox verò ad pectus descendendo, apparet musculus subclavius dexter 19. 26., qui primam thoracis costam sursum, & in latus ducit, ut alibi monuimus.

Præterea ablato à dextera parte musculo pectorali majore (qui in sinistra cernitur in situ 21. 35.) superstes observatur pectoralis minor 25. 25., unus ex costa-

coſtarum elevatoribus, qui pariter ſcapulam antrorſum adducit.

Inſuper demonſtrantur coſtæ legitimæ 21. 28. & 27. 27., quibus ſuccedunt coſtæ ſpuriæ per ſe ſatis obviæ, unà cum ſterno ſuas in ſectiones diviſo 26. 29., pariterque cartilagine mucronata 27. $\frac{1}{1}$ 29. $\frac{1}{1}$

Superſedemus autem hìc loci ſingulos indicare brachii muſculos, quorum demonſtrationem in præcedentibus Tabulis habuimus, unà cum carneis peritonæi productionibus ad ſcrotum obſervatis.

Illud animadvertat Lector, è manu ſiniſtra demptum fuiſſe ligamentum carpi, ut palmaris muſculi proceſſum quiſquis intueri facillimè poſſit; ubi quidem notandum, portionem ejuſdem tendinis palmaris tranſverſim ferri, & penetrare ſubſtantiam fibroſam muſculi flectentis pollicem 41. 53.; id quod à nemine delineatum huc uſque comperimus; quanquam uſum præclarum habeat, jungendi nempe ad idem opus omnes ſimul eodem tempore digitos.

Similiter ſuperfluum putamus cæteros indagare muſculos infernorum artuum, quippe non omnibus modò Chirurgis, ſed pleriſque etiam Tonſoribus notos, & à nobis aliàs explicatos.

TA-



TAB. XXXIII.

TABULA XXXIII.

Detractis aliquot ſupernis muſculis à thorace, abdomine, & artubus, penitiores alios oſtendit.

URAM in hac Tabula ſuſcepit Euſtachius demonſtrandi muſculos, qui in anteriori corporis regione oculis objiciuntur, detractis iis, quos in XXXII. jam oſtenderat.

Primò autem notetur muſculus temporalis ſiniſter in plures ſectiones carneas, interjectis puſillis tendinibus, veluti in totidem muſculos diviſus; quæ ſingulæ ſectiones in magnum tendinem 5. 40. coagmentari videntur. Hic autem tendo ſub zygomate 5. ÷ 39. ÷ fertur; inſeriturque in apophyſim coronidem maxillæ inferioris. Ab hac autem muſculi temporalis ſtructura clarè intelligere poſſunt Medici, muſculum temporalem non ſolùm adductioni per lineam rectam mandibulæ inferioris ad ſuperiorem opitulari; verùm etiam obliquis huc illuc circumductionibus, præduris alimentis veluti ſub mola conterendis, comminuendiſque inſervire. Docentur quoque ipſi Chirurgi, ut ab hujus muſculi inciſione, non tantùm propter carneas fibras, ſed multò magis propter has tendineas interſectiones, ſedulò abſtineant.

Deinde animadvertatur muſculus maſſeter ſiniſter, qui pariter eſt cum temporali adductor mandibulæ inferioris. Nam externa ſui facie fibras non rectas, ſed obliquas 7. 39. obtinuit, quas oppoſito ordine decuſſant internæ illius fibræ.

Tertio loco indicatur notiſſimus alioqui muſculus buccinator 7. 37.

Quartò deſcenditur ad muſculos linguæ, & pharyngis, ac potiſſimùm in hac Figura exhibentur ſtylogloſſus, linguæ erector 7. ÷ 37., & geniogloſſus extra os linguam producens 9. 35. ÷; ceratogloſſus 9. 36. ÷, qui linguam ad latus retrorſum ducit; ſtylopharyngæus ſiniſter 9. 38. ÷, adducendæ pharyngi ad latera deſtinatus; coracohyoidæus ſiniſter 15. 40., dexter autem 13. 35.; qui digaſtrici, ſeu biventres etiam dicuntur, & os hyoides deorſum ad latera trahunt. Sternohyoidæi autem 15. 37. & 15. 38. os hyoides deprimunt.

Neque autem in hac Tabula præterendum ligamentum, quo dicti ſuperiùs laryngis, & oſſis hyoidis muſculi colligantur, de quo Scriptores vel nihil agere, vel non tam perſpicuam iconem exhibere videntur. Cerne illud ſub 10. ÷ 37.

Sequuntur præterea muſculi flectentes collum in anteriorem partem, nempe ſcalenus 15. 35. ÷, & longus in ſitu 11. 39.

Exhibet ulteriùs viſendos in thorace muſculos intercoſtales internos, dextero quidem in latere è regione ſterni; externos verò, quà ſpinam ſpectant, ut eorundem muſculorum tam internorum, quàm externorum fibræ ad invicem ſe decuſſantes magis obviæ fierent. In latere ſiniſtro, præter aliqua intercoſtalium muſculorum veſtigia, proponit quoque anteriorem faciem muſculi ſerrati antici majoris 23. 44., qui unà cum intercoſtalibus muſculis thoracem dilatat, quique ex aliorum ſententia, ad deprimendam quoque ſcapulam adhibetur, cujus ille internæ baſi adnexus eſt. Inſuper in coagmentatione humeri cum ſcapula, & clavicula, delineat ligamenta bifida, quorum icon evidentiùs apparet ſiniſtro in latere 15. 44.

In abdomine, præter lineam albam ex umbilico ad mucronatam cartilaginem usque productam 27. 38., & peritonæum dextera parte ab aliquot musculis denudatum 35. 38., observatur musculus abdominis rectus à tribus tendineis intersectionibus divisus, qui dentato principio 25. 40., ad latus sterni inseritur, desinitque ad radicem ossis pubis 41. 40.; cui proximè incumbit appendix illa muscularis 41. 39., quam pyramidalem musculum vocant post Falloppium Anatomici: cui verò hujus musculi inventio, ac delineatio debeatur, nostro ne Autori, an Falloppio, viderint alii. Apparent deinde musculi transversi 35. 33. & 35. 45.; omnes autem expositi musculi simul conveniunt ad comprimenda æqualiter viscera, & vasa in abdomine contenta. Neque hîc Lectoris oculos fugere debet, quòd utrinque in inguinibus vasa 41. + 36. & 41. + 41., ad testes procedentia cum musculo cremastere 44. 37. & 44. 40. diligenter demonstrantur.


Cæterum, omissis musculis, quos hîc in supernis artubus Autor delineat, quoniam horum descriptionem jam pluries exhibuimus, ad illos gradum facimus, quos naturali situ in inferioribus ostendit: hi enim illi sunt, quorum aspectus à superincumbente reliquorum musculorum mole in præcedentibus Figuris eripiebatur.

In femore itaque dextero perspicuè patent tum origines musculi tricipitis femur extendentis 46. 37. & 47. 37., tum insertiones 51. 30. + & 55. 30. & 60. 30.; deinde idem femur flectentes pectinæi 45. 35. & 45. 41., musculorum psoas tendines 43. 34. + & 43. 42., atque extrema utriusque iliaci interni 42. 34. & 42. 43.

Sequuntur musculi tibiam extendentes, nimirum rectus, cujus tendo recisus apparet sub 63. 42., duo vasti, externus scilicet 60. 44., & internus 60. 41., atque his suppositus intermedius cruræus 58. 42. & 58. 29.; ulteriùs pars carnosa membranosi 42. 32. & 42. 45.

De reliquis autem musculis extremi pedis parum soliciti sumus, ne actum agere frustra videamur.

Superest solummodo, ut Lectoribus observanda proponamus duo ligamenta, ad decussim posita, quibus natura inter se vincit ossa tarsi 85. 29. + & 85. 30.



TAB. XXXIV.

TABULA XXXIV.

Posteriorem faciem trunci, artuumque ostendit cum penitioribus aliquot musculis, à propria membrana denudatis.



On est hîc, ut dubitemus, quin noster Autor in hac Tabula Anatomicos erudire voluerit, ut facilè intelligant non solùm quomodo musculi adhærent ossibus, atque ab iisdem nascuntur, aut in eadem inseruntur, verùm etiam ordinem fibrarum, quo unusquisque musculus, propria membrana denudatus, compingitur; non enim lacerti, in hac Figura delineati, vestiuntur tunica: id quod per ea tempora nullis planè dissectoribus in usu fuisse, quæ aliorum ad nos pervenerunt Tabulæ, apertissimè docent.

Itaque cernat Lector secundum musculum erectorem sinistræ auris 5. 27. ab Anatomicis, qui Eustachium præcesserunt, planè omissum; necnon sinistrum musculum quadratum in occipite 7. 30., de quo superiùs verba fecimus.

Omnium verò maximè animadvertat trapezium, seu cucullarem 15. 28., qui scapulæ retrorsum movendæ addictus est, eâ tamen lege, ut quemadmodum ejusdem fibræ trifariam ductæ sunt versùs spinæ vertebras, scilicet in medio planè rectæ 16. 26., superiùs obliquè sursum, 13. 28., inferiùs verò obliquè deorsum 23. 29.; ita profectò noster Autor triplicem illius usum demonstrare voluit. Nimirum portio hujus musculi, qui medium tenet, scapulam omnino retrorsum ducit; quæ superiùs locatur, obliquè sursum; quæ inferiùs, obliquè deorsum trahit.

Intueatur deinde rhomboidæum dexterum 20. 31., qui, quum fibris, ut cernitur, instruatur, ductis à scapulæ margine sursum obliquè ad superiores dorsi, & inferiores colli vertebras, facilè potest eandem scapulam retrorsum, & aliquanto sursum adducere; ita ut succenturiari quoquomodo videatur superiori sectioni superinstructi musculi trapezii, quæ dum scapulam à superna parte trahit, rhomboidæus eandem ad inferna sursum ducit.

Notetur ulteriùs portio serrati postici superioris 18. 31. $\frac{1}{2}$, quæ deorsum sub rhomboidæo, & scapula fertur 19. 32.; cujus pleniorem iconem, verumque usum Tabulâ XXXVI. indicabimus.

De ipso deltoide 21. 19. supersedemus edisserere, quum in superiori copiosè loquuti fuerimus.

Latissimus verò dorsi 30. 35., quum tendine acuto alligatus sit inferiori parti superioris sectionis humeri juxta illius caput 20. 37., quumque fibras habeat obliquè deorsum, sed ad varios terminos desinentes, varièque inclinatas; idcirco vario etiam usu, juxta variam harum, vel illarum, vel simul omnium fibrarum tensionem, donatur. Nam, si musculus hic agat per seriem fibrarum 24. 32., quæ sursum aliquatenus exporriguntur, brachium trahit ad posteriora sursum; si verò tendatur infernâ sui parte 34. 35. deducit ipsum brachium ad posteriora deorsum: & tunc verè aniscalptor appellari meretur. Denique, quum omnibus suis fibris contrahatur, ad posteriora, sed tantummodo extrorsum deducit.

Observet etiam Lector musculos carpi extensores, nempe cubitæum externum


33.

33. 13., & radiæum pariter externum 33. 11.; deinde extenſorem majorem, ſeu communem digitorum 38. 7.; extenſorem proprium digiti auricularis 38. 8.; extenſorem indicis 40. 45.; extenſorem pollicis 37. 45.

Deſcendendo autem ad infernos artus exhibet hæc Tabula primò duos ex glutæis muſculis, retrorſum movendo femori deſtinatis; ſcilicet alterum majorem 47. 25., alterum verò minorem, ſeu medium 43. 36., & quadratum 44. 33.; cujus uſum Tabulâ pariter XXXVI. indicabimus; deinde bicipitem 53. 33., ſeminervoſum 53. 31. $\frac{1}{1}$, & gracilem 50. 28., qui ſimul tibiam flectunt.

Denique muſculos pedem extendentes; nimirum ſuralem externum, internum, & gracilem poſticum. Suralis externus, qui etiam dicitur gemellus, apparet 71. 22., cujus tendo 83. 22. paſſim vocatur chorda Achillis, & ab Hippocrate tendo magnus. Suralis internus, qui etiam ſolæus appellatur 75. 33., & gracilis poſticus, qui plantaris quoque nuncupatur 66. 33. $\frac{1}{1}$; tandem altera chorda magna abſciſſa 80. 32.

TA-



TAB. XXXV.

TABULA XXXV.

Rursus anteriorem totius corporis aspectum cum aliquot tum capitis, tum artuum musculis exhibet.



DE musculis faciei, ossis hyoidis, colli, & abdominis disserere supervacuum est, quum in superioribus fuerint indicati. Illud porrò præterire non possumus, Eustachium hîc demonstrasse musculorum caput flectentium, quos mastoidæos vocant, originem 15. 26. & 15. 30. multò clariùs, atque ad Galeni mentem, quàm ullus sui temporis Anatomicorum fecerit. Legantur itaque ea, quæ habet in epistola De Motu Capitis pag. 231. *De septimo*, inquit, *musculorum pari tantum Autorem*, nempe Galenum, *etiam injuria reprehendunt; nam musculi utrinque gemini sunt, & facillimè in duos dividi, nonnunquam etiam in tres possunt, quorum exterior carnoso simul, ac nerveo principio à superiori, anteriorive sterni regione oritur, & obliquè sursum ascendens ante medium ipsius ductum alium tegit, ulteriùsque procedens eundem amplectitur, ac undique involvit, & in posteriorem regionem radicis apophysis papillæ mammillarum similis, & in partem huic vicinam carneus, atque nerveus semicirculi instar inseritur. Alter musculus carnosa origine à tertia claviculæ parte sterno proxima enatus, dum ad caput fertur semper angustior evadit, & post medium quasi teres effectus, à priorique involutus, partim carneo, partim nerveo fine in apicem memoratæ apophysis acutus desinit. Horum musculorum divisio in interna regione conspicua est, longèque meliùs in homine, quàm in simia cernitur.* Principium duplex mastoidæorum à sterno, & clavicula habes sub 16. $\frac{1}{1}$ 29. & 17. 29. In dextero autem vides, detracto superposito fibrarum strato, nudam suppositarum fibrarum seriem, earumque originem 16. 26. à lata basi in pyramidem assurgere.

Clarè insuper observantur in sinistro thoracis latere pectoralis minor, cujus extrema pars carnosa ad quintam usque costam exporrigitur 23. 23.; superiùs verò per tendinem inseritur in apophysim coracoidem omoplatæ 15. 22., atque illam antrorsum ducit.

Huic paulò superiùs adnotatur etiam musculus subclavius 16. $\frac{1}{1}$ 24., sub clavicula locatus, primæque costæ superiorem partem vinciens, quam sursum, & in latus adducit.

Pulchrum erit etiam in hac Figura observare lineam coagmentationis singularum costarum cum sterno, quæ minùs peritis sectoribus in dividendo, efferendoque sterno cultrum dirigere potest.

Deinde in supernis artubus, præter deltoidem 22. 39. & 16. 34., de quo alibi innuimus, & pectoralem majorem 25. 31. & 17. 32., qui humerum introrsum trahit, observantur quoque biceps, cubitum flectens 28. 15.; radii supinator longus 35. 12.; cubitæus internus, qui carpum flectit 37. 46.; palmaris longus 42. 51. & 33. 43.; palmaris brevis 44. 13., deducens pollicem 44. 11., flectens verò 33. 44.

Neque hîc loci refugiendus est labor iterum demonstrandi portionem illam tendinis musculi palmaris, quæ intra carnosam partem musculi flectentis pollicem inseritur, ut aliàs observavimus.


In

In infernis verò animadvertitur musculus rectus omni involucro denudatus 50. 23., cujus fibræ carneæ, utrinque obliquè sursum excurrentes, angulos acutos in centro efformant. Perspicuæ quoque sunt in hac Figura dicti jam musculi insertiones, superior nempe cum interiori, & inferiori parte ossis ilii 39. + 22., inferior verò cum superiore, & anteriore tibiæ latere 63. 23.; unde meritò inter cruris, seu tibiæ extensores ab Anatomicis primus dicitur.

Observantur quoque musculus gracilis 47. 29., seminervosus 47. 32., & sartorius 47. 33., qui tibiæ flectendæ inserviunt, & quorum tendines simul coeunt, 65. 38.

Ulterius occurrunt musculi flectentes pedem, & sunt peronæus anticus 75. 23., ac tibiæus pariter anticus 70. 39.; tendo tum extensoris magni digitorum 83. 23. + tum extensoris pollicis 84. 37. +, & deducens pollicem 85. 36.

TA-


TAB. XXXVI.

TABULA XXXVI.

Posticam, & paulò lateralem corporis faciem delineat, ut nonnulli musculi, in Tabula præsertim XXXIV. prætermissi, veniant in apertum.



IN primis verò admovere oportet oculum, animumque ei diligentiæ, quam Eustachius adhibuit, ut in musculis fibrarum ordo, ablatâ peculiari, propriâque uniuscujusque membranâ, evidenter appareat.

Incipit autem à musculo temporali dextero 5. 24., & progreditur ad splenium pariter dexterum 10. 22.

Ostendit deinde erectorem proprium scapulæ, musculum scilicet vulgò patientiæ 15. 18., & alterum pariter inter elevatores recensendum, qui serratus posticus minor, sive superior 17. 19. appellatur.

Insuper in trunco observantur

Primò portio lateralis musculi serrati antici majoris 25. 14., cujus velim miram Lector structuram animadvertat, nam in sex, aut septem fasciculos lacertorum eleganter, quasi in totidem minores musculos, dividitur; nimirum ut scapula nunc obliquè, nunc rectà deorsum deduci posset.

Secundò serratus posticus inferior 30. 18., ex cujus profectò structura, & situ, voluit fortasse Autor, ut quisque cognosceret, quantùm à veritate deerraverit, qui constrictionem thoracis in expiratione solo costarum pondere, non autem ope musculorum fieri statuit. Etenim, quum dictus jam musculus valido suo tendinoso principio ab aliquot dorsi, & lumborum vertebris exurgat, altero verò extremo inferiori margini nonnullarum costarum inferatur; necesse est, ut fateamur, illius usum esse, ut constrictioni thoracis opituletur, quatenus nempe costas obliquè deorsum vertebras versùs adducit.

Tertiò sacrolumbus dexter thoracem constringens 25. 22.

Quartò obliquus abdominis ascendens 35. 15.

Quintò longissimus dorsi 25. 21., & musculus sacer 41. 21., qui ambo dorsum, & lumbos extendunt.

In supernis autem artubus delineantur nonnulli musculi, nimirum rotundus major, qui humerum retrorsum movet 22. 27., deinde cubiti extensores, qui sunt, longus 25. 11., brevis 25. 8., & brachiæus externus 16. 34.

Tertiò radiæus externus, qui carpum extendit 13. 40.

Quartò adductor indicis 4. 53.

Quintò principium extensoris pollicis 39. 5.

Sextò musculus hypothenar dictus, qui digitum auricularem abducit 45. 4. $\frac{1}{2}$

In musculis verò artuum inferiorum Eustachii diligentia nos admonet, ut priùs intueamur carneas fibras, quæ ab extremo coccyge ortæ, podicem, externi instar sphyncteris, circumplectuntur 47. 19.

In extrema ilium sede observantur primò musculi, qui femur extrorsum ducunt, quos inter adnumerantur iliacus externus, sive pyriformis 43. 15., & quadratus 44. 23.

Secundò glutæus minimus 43. 26., qui, ut glutæi majores, retrorsum femur agit.

Tertiò triceps, qui ſemur introrſum movet, & cujus principium apparet 46. 23., medium verò 56. 28.; tendo demum infimus 61. 27.

Quartò cruræus, dictus etiam ſemoræus 60. 31., & vaſtus externus 60. 13., qui tibiam extendunt.

Quintò flectentes eandem tibiam, nempe ſemimembranoſus 60. 17., poplitæus 66. 30., & alterum bicipitis principium 61. 14. +

Sextò peronæus poſticus, qui pedem abducit 73. 30.

Septimò tibiæus poſticus adducens pedem 73. 18.

Octavò flexor pollicis 80. 16.

Tandem deducens minimum digitum 87. 27.

TABULA XXXVII.

Videndos proponit poſtica corporis parte non colli ſolùm, ſed magis profundè oſſibus hîc illic adhærentes muſculos.




ERNIS primo loco ſplenios 10. 31. & 10. 35. +; complexos 10. 23. & 10. 34.: ubi minimè prætereundum eſt per eorundem longitudinem nonnullas albas fimbrias interſecantes delineatas fuiſſe 12. 32. +, cum aliis finitimis, quas fortè aliquis nervos, aut vaſa ſanguinea perperam putaverit; quum revera ſint portiones abſciſſæ minimorum tendinum, qui ab exaratis muſculis complexis ad commune membranæ carnoſæ velamentum ea ratione exporriguntur, ut majus robur in colli ad poſteriora retractionibus adipiſcantur.

Deinde muſculos tranſverſales 15. 31. + & 15. 34. +, ſcalenos 15. 30. + & 15. 36.; quorum tum in ſiniſtro, tum in dextero principium duplex, quemadmodum naturâ eſt, nimirum alterum à prima, alterum à ſecunda coſta demonſtratur.

In humeris verò oſtenduntur muſculi brachium attollentes, nimirum ſupraſpinati, dexter 17. 38., ſiniſter 16. 28.; necnon retrorſum reducentes ſupraſcapulares inferni 20. 28. & 20. 38.; item rotundi, major ſiniſtro in latere 22. 27., in dextero minor 22. 39.

Ad dexteram manum extrorſum movendam radiæus externus 14. 50.: cujus duplicem inſpicias precor tendinem in metacarpum deſinentem; ita ut meritò poſtmodum Verheyenus ſe duos diſtinctos muſculos radiæos externos inveniſſe narret: ſed in ſiniſtro latere 30. 14. idem radiæus unico tendine in metacarpum deſinit. Adeo natura interdum ſibi parum conſtat in diſtributione tubulorum, tendinum, ac muſculorum, qui non ſunt maximi uſus. Ad cubitum ſiniſtrum flectendum cernitur brachiæus internus utrinque ad humeri os 24. 19. & 25. 21.

Anconæus in lævo brachio 28. 16. +, in dextero autem 17. 54. +, quem idem Verheyenus candidè fatetur, ſe nunquam reperiſſe, ſed ex aliis delineari curaſſe: revera tamen inter extenſores cubiti quartum locum tenet, & ab Euſtachio diligenter obſervatus, atque abraſo paululum ſuperiori tendine



TAB. XXXVII.

dine hîc delineatus fuit. Cubitæus pariter internus ad carpi flexionem 32.16.

Ad dorſum extendendum ſe ſe offerunt ſemiſpinatus 20. 33. -¦- & 30. 33. -¦-, longiſſimus dorſi 25. 31., ſacrolumbus extra ſitum propendens 40. 24., & ſacri dicti 42. 31. & 42. 33., quorum dexter, ablato longiſſimo, integer apparet.

Elegantiſſimam Figuram vides duorum utrinque muſculorum à nemine, quemadmodum in naturali ſitu cernuntur, delineatorum 44. 28. & 44. 36., necnon 45. 28. & 45. 36., qui fortè ſunt gemini quadrigeminorum ventres, quos ſolertia Euſtachii diviſit, quique inter obliquè abducentes femur adſcribi poſſunt.

Neque ſilentio prætereundi ſunt duo muſculi, qui apparent ad latera ſpincteris ani, & obliquè ſurſum exporrecti, dilatatoris forſitan munus exequuntur. Cadunt autem ſub 45. 31. & 45. 33. Obſervetur etiam tertius ejuſdem triangularis figuræ muſculus, ſeu portio muſculi, qui 48. 31. -¦- à podice ipſo propendens, ille eſſe videtur, qui, versùs perinæum productus, per novam Autoris diligentiam ſeparatus fuit.

Quadratus 46. 27., obturator internus à propria ſede avulſus 48. 41.

Poſtremò in crure dextero apparent peronæus anticus 80. 44.; flexor pollicis 75. 29., cujus tendo inflectitur ſupra talum, ut ad oſſa pollicis perveniat 85. 31.

TABULA XXXVIII.

Exhibet parte anteriore musculos præsertim capitis motores; exemptisque aliquot visceribus, nonnulla observatu digna in thorace, & abdomine.



NTER musculos, qui movendo capiti sunt destinati, observantur primò extensores; scilicet splenius 11. 22. & 11. 26.; secundò rectus major dexter 9. 23. -|-; inter eos verò, qui in gyrum ducunt, delineantur obliqui superiores 9. -|- 22. -|- & 9. -|- 26., quos, ut præsens Tabula abscissos, ita sequens integros, & in situ demonstrabit.

Qui verò flectendo collo diriguntur, sunt primò scaleni, quorum duplicem originem Autor ad evidentiam ostendit, & utranque à prima costa 16. 27. & 16. 22.; deinde musculi longi ejusdem colli 12. 24. & 12. 25.; de quorum structura, atque usu juxta Autoris, & Galeni mentem in Tabula XLI. verba faciemus.

In thorace verò se se oculis objiciunt non solùm intercostales externi, sed etiam interni utriusque lateris, qui nusquam ad costarum radices, hoc est ad spinam, ac vertebras pertingunt; quod jam innuit Eustachius suis in Opusculis De Vena sine pari antigram. 18. pag. 309., & nos Tabulâ XIX. rationibus jam confirmavimus.

Præterea musculi quadrati flectentes dorsum 36. 33. & 36. 29.


In superioribus artubus apparent primò musculus subscapularis, sive immersus 17. 30., & tendo latissimi dorsi 19. 32., qui retrorsum humerum trahunt; secundò superscapularis, seu supraspinatus 16. 29., qui eundem humerum extrorsum propellit; tertiò brachiæus internus 25. 38., qui cubitum flectit; quartò radii pronator brevis, aliàs quadratus 9. 11.; quintò radiæus externus 31. 45., qui carpum extendit. Denique nonnulli musculi observantur, qui ad manum extremam, seu digitos pertinent, & sunt, sublimis 34. 45., principium palmaris 15. 4., atque ejus tendo recisus 13. 11., flexor pollicis 33. 46., ejus principium carnosum 14. 6. -|-, triplicatum principium adducentis pollicem 7. 15., deducens digitum minimum 6. 12., & interossei interni 5. 14.

Ulteriùs in abdominis cavitate conspiciuntur utrinque non tantùm musculi psoas, & iliacus internus, qui quum inter adducentes antrorsum femur repositi sint, demonstrare voluit Eustachius qua lege ipsorum tendines 46. 21. & 46. -|- 30. in interna femoris parte inserantur; verùm etiam iliacorum externorum fines ad os sacrum pertingentes 43. 24. & 43. 27.


Et quoniam in sermonem de osse sacro incidimus, è re putamus Lectores nostros admonere, ut in hac Figura diligenter animadvertant, quod sedulò ad Galeni, & veritatis tutelam inculcavit Eustachius de ossium examine pag. 290., inquiens: *Os sacrum quinque particulas, & quatuor utrinque absoluta foramina, & earum ultima* (à sexta nimirum particula) *quæ vulgaris coccygis est, principium excipit: hujusmodi autem sex ossa quinque nimirum sacri, & primum vulgaris coccygis, quantum ego penetrare ad sensum, opinionemque Galeni possum, rudi linea ipse nobis adumbravit &c.*. Hactenus Eustachius.

Vide notas doctiss. Morgagni ad Tabulam XLIII.

Exhi-



TAB. XXXVIII.


I
II
III
IV
V
TAB. XXXIX.

Exhibetur quoque tendo musculi psoas minoris recisus 42. ÷ 22. ÷, pectinæus dexter, qui, abscisâ superiori parte tricipitis, ferè totus conspicitur sub 45. 24., sinister verò sub 45. 28., quique femur antrorsum trahit.

Triceps sinister, idem femur introrsum ducens, apparet in parte superiori 47. 29., in inferiori 60. 28.; dexter verò ablato primo principio 47. 25. & 60. 20.

Peronæus anticus pedem flectens 80. 12. & 80. 29.

Denique ligamentum, quod incipit à conjunctione ossis navicularis, & cuboide, desinitque in os metatarsi, quod sustinet digitum minimum 87. 27. ÷

TABULA XXXIX.

Ostendit parte postica nonnullos musculos capitis, & colli, necnon oculorum.




BSERVANTUR in Figura I. ii præsertim musculi, quos præcedens Tabula abscissos solùm exhibuit. Sunt autem primò capitis extensores, nempe splenius 13. 27., complexus 13. 28., rectus major 13. 30. ÷, & rectus minor 12. 30.: deinde musculi, qui caput in gyrum ducunt; hoc est obliquus superior, seu minor 12. ÷ 31. ÷ & obliquus inferior, seu major 13. ÷ 31.

Horum verò postremorum musculorum meminit, præsertim Galenus, pro cujus defensione idem Eustachius in Epistola De Motu Capitis hæc scripsit pag. 232. *Propè asperam, & inæqualem scissuram occipitis ossis, & alteri petram referenti communem, qua parte nimirum arteriæ soporalis gratia hoc perforatum est, eminens quædam linea obliquè ad interiora procedens occurrit, à qua musculus digitalis latitudinis carneum principium sumit, indeque obliquè deorsum ad exteriora procedens nonnihil angustior, & tenuior redditur; ac deinde quibusdam in partibus producto tendine juxta radicem anteriorem transversi processus primæ vertebræ non longè ab insertione alterius, quem modò describam, inseritur. Hos musculos innuisse Galenum suspicari possumus, ubi alteram portionem eorum, qui stomacho subjecti sunt, aliquando peculiarem, evidentemque circumscriptionem obliquarum fibrarum habere dicit, quæ exiguis musculis in posteriori cervicis sede locatis proportione respondet. Alter musculus prædictis brevior, & angustior, magis tamen in principio, quàm in fine, oritur parumper nerveus à posteriori, & externa sede foraminis sextum nervorum cerebri jugum emittentis, quà scilicet os asperum est, & inæquale; deinde obscurè latior effectus, ad interiora procedens, in anteriorem, elatioremque partem transversi processus primæ vertebræ desinit. Hi profectò musculi Galenum minimè latuerunt. Nam præter eos, qui stomacho subjecti sunt, in parte anteriore alios parvos primam vertebram capiti conjungentes à lateribus esse docuit, ut illorum beneficio ejusdem primæ vertebræ articuli ad latera annuendo moverentur.*

Mox verò apparent scaleni 19. 27. & 16. 32., qui collum flectunt, & spinatus dexter 19. 30. eundem collum extendens.

Item superscapularis inferior sive infraspinatus 24. 35., cujus fibræ ab omopla-

tæ


I
II
III
IV
V
TAB. XXXIX.

Exhibetur quoque tendo musculi psoas minoris recisus 42. ÷ 22. ÷, pectinæus dexter, qui, abscissâ superiori parte tricipitis, ferè totus conspicitur sub 45. 24., sinister verò sub 45. 28., quique femur antrorsum trahit.

Triceps sinister, idem femur introrsum ducens, apparet in parte superiori 47. 29., in inferiori 60. 28.; dexter verò ablato primo principio 47. 25. & 60. 20.

Peronæus anticus pedem flectens 80. 12. & 80. 29.

Denique ligamentum, quod incipit à conjunctione ossis navicularis, & cuboide, desinitque in os metatarsi, quod sustinet digitum minimum 87. 27. ÷

TABULA XXXIX.

Ostendit parte postica nonnullos musculos capitis, & colli, necnon oculorum.



OBSERVANTUR in Figura I. ii præsertim musculi, quos præcedens Tabula abscissos solùm exhibuit. Sunt autem primò capitis extensores, nempe splenius 13. 27., complexus 13. 28., rectus major 13. 30. ÷, & rectus minor 12. 30.: deinde musculi, qui caput in gyrum ducunt; hoc est obliquus superior, seu minor 12. ÷ 31. ÷ & obliquus inferior, seu major 13. ÷ 31.

Horum verò postremorum musculorum meminit, præsertim Galenus, pro cujus defensione idem Eustachius in Epistola De Motu Capitis hæc scripsit pag. 232. *Propè asperam, & inæqualem scissuram occipitis ossi, & alteri petram referenti communem, qua parte nimirum arteriæ soporalis gratia hoc perforatum est, eminens quædam linea obliquè ad interiora procedens occurrit, à qua musculus digitalis latitudinis carneum principium sumit, indeque obliquè deorsum ad exteriora procedens nonnihil angustior, & tenuior redditur; ac deinde quibusdam in partibus producto tendine juxta radicem anteriorem transversi processus primæ vertebræ non longè ab insertione alterius, quem modò describam, inseritur. Hos musculos innuisse Galenum suspicari possumus, ubi alteram portionem eorum, qui stomacho subjecti sunt, aliquando peculiarem, evidentemque circumscriptionem obliquarum fibrarum habere dicit, quæ exiguis musculis in posteriori cervicis sede locatis proportione respondet. Alter musculus prædictis brevior, & angustior, magis tamen in principio, quàm in fine, oritur parumper nerveus à posteriori, & externa sede foraminis sextum nervorum cerebri jugum emittentis, quà scilicet os asperum est, & inæquale; deinde obscurè latior effectus, ad interiora procedens, in anteriorem, elatioremque partem transversi processus primæ vertebræ desinit. Hi profectò musculi Galenum minimè latuerunt. Nam præter eos, qui stomacho subjecti sunt, in parte anteriore alios parvos primam vertebram capiti conjungentes à lateribus esse docuit, ut illorum beneficio ejusdem primæ vertebræ articuli ad latera annuendo moverentur.*

Mox verò apparent scaleni 19. 27. & 16. 32., qui collum flectunt, & spinatus dexter 19. 30. eundem collum extendens.

Item superscapularis inferior sive infraspinatus 24. 35., cujus fibræ ab omopla-
tæ

tæ circumferentia in tendinem 22. ÷ 35., tanquam in centrum feruntur: tendinis autem extremitas inseritur in superiorem, & posteriorem partem humeri, quem retrorsum ducit.

Ostenduntur ulteriùs radii supinator brevis 20. 51.

Ejusdem musculi posterior facies 30. 13.

Abducens minimum digitum 39. 20., & interossei interni, qui versùs pollicem digitos adducunt 40. 21. & 40. 23.

Tandem quadrati 40. 26. & 40. 32., qui dorsum flectunt, & semispinati 30. 29. & 30. 30., ac sacri 45. 28. & 45. 30., qui idem dorsum, & lumbos extendunt.


Sequentes quatuor Figuræ ostendunt humanum oculum, cum suis musculis, & nervo optico ab orbita, & calvaria extractum; scilicet ut illorum numerus, figura, positio, atque ordo facilè conspici possent.

Itaque præter crines, seu cilia palpebræ superioris 45. 18., & cartilaginem tarsi 46. 18. & musculum attollentem palpebram superiorem 50. 18., cernantur musculi potissimùm oculorum recti, quorum primus dicitur attollens, sive superbus 53. 18. & 55. 42., & cujus tendo 50. 43. evidenter apparet: secundus deprimens, sive umilis 80 41.: tertius adducens seu bibitorius 55. 13. & 55. 38. & 80. 13. & 80. 44.: quartus verò deducens, seu indignatorius 55. 20. & 55. 45. & 80. 20. & 80. 36.

Deinde observentur musculi oculorum obliqui, rotatores etiam, atque amatorii appellati, quorum alter superior est, alter verò inferior. Primus apparet sub 55. 14. & 55. 39. & 80. 14., alter verò sub 78. 38.

Tandem notetur trochlea, per quam ducitur tendo obliqui superioris 48. 14. & 49. 39. & 74. 14.; nervus opticus 63. 12. & 63. 38. & 87. 13. & 88. 44.; ejusdem insertio in oculum 80. 17.; conjunctio nervorum opticorum 67. 9., & pars diaphana corneæ 47. 43. & 72. 18. & 73. 39. Verùm de iis musculis longiùs differere non est animus, quia sunt per se admodum perspicui, atque apud omnes Anatomicos recensiti; nec volo hîc notarum terminos excedere.

TA-



TAB. XXXX.

TABULA XL.

Varias oculorum membranas, vasorumque per illas distributiones ostendit.



FIGURA I. membranam corneam cum limbo circumsecto tunicæ adnatæ depingit. A Figura verò II. usque ad IV. proponit Autor observandas oculi membranas parte postica cum nervo optico. Siquidem

FIGURA II. exhibet in quatuor segmenta divisam scleroticam parte oculi posteriore, ut videndam præbeat membranam uveam cum vasculis sanguineis intercurrentibus.

FIGURA III. demonstrat non solùm membranam retinam, detractâ corneâ, & uveâ; sed videtur quoque sponsionis suæ meminisse, demonstrando scilicet *foramen*, ut ipsemet scripsit in ossium examine, *nervi visorii, quod, vel multis reclamantibus, sexcenties ante amicorum oculos exposui*; quod in præsenti Tabula potissimùm Figura III. sub 12. 46. $\frac{1}{1}$ clarè videri potest. *Pag. 227.*

FIGURA IV. divisis, reclinatisque tribus membranis cum nervo optico 39. $\frac{1}{1}$ 15., vitreum humorem unà cum tenuissima propria membrana, prout situs est, oculis subjicit. Deinceps usque ad Figuram XII. anteriores posterioresque oculorum aspectus repræsentat. Nam *Huc confer ea, quæ ad præsentem Tabulam notavit solertiss. Morgagnus.*

FIGURA V. humorem vitreum posteriori facie, suo in sinu crystallinum 34. 29. excipientem, patefacit.

FIGURA VI. pupillam cum crystallino humore, & ligamento, seu musculo ciliari: cæteræ verò Figuræ varias oculorum membranas, & vascula demonstrant, quas singillatim ostendere, quippe per se apertissimas, supersedemus.

TA-

TABULA XLI.

Videndos exhibet denudatos musculos potissimùm faciei, ossis hyoidis, & linguæ cum glandulis thyroidæa, & trachealibus.



IN Figura I. & III. evidentiùs quàm aliàs apparent musculi faciei, tametsi Tabulis potissimùm XXVIII. XXXII. XXXIII. & XXXV. singillatim Autor de iisdem egerit: quare operæ pretium arbitramur, hîc Eustachii singulare studium ostendere. Nam

Figurâ I. statim demonstrat bipartitum frontis musculum 10. 18. & 10. 23., qui fibras utrinque in arcum protensas habens, ad elevanda supercilia, corrugandamque frontis cutim opportunè potest adhiberi.

Secundò musculos utramque palpebram claudentes, qui, quum à fibris ab uno oculi cantho ad alterum ductis eleganter compingantur, figuram ferè circularem constituere videntur: segmenta quidem superiora vides 12. 17. & 12. 24.; inferiora verò 15. 17. & 15. 24.

Tertiò musculum auris attollentem 13. 7.

Quartò habes etiam in hac eadem Figura, quòd animadvertas musculum temporalem 15. 12., ab Autore fortè propiùs ad cranium dissectum, ex unico duntaxat fibrarum carnearum plano sine ullo tendine, & sine illis tendineis divisionibus, quas in Tabula XXXIII. evidentissimè patefecit.

Quintò conspicitur musculus masseter 21. 13., cujus usum esse communem cum temporali, adducendi scilicet maxillam inferiorem alio loco monuimus; nimirum in notis ad prædictam Tabulam XXXIII. Cerne illius fibras obliquo ordine ductas ab osse ipsius malæ, & inferiori limbo ossis zygomatis 17. 13., usque ad infernam mandibulæ partem 23. 15.

Sextò ostendit principium, seu insertionem ad dexteram narium pinnam illius musculi, qui dicitur constrictor, & depressor pinnæ 17. 20. $\frac{1}{4}$, cujus integram iconem, detractis incumbentibus nasi, & superioris labri musculis cum utraque extremitate evidentiùs proponit Figura III. 17. 48.

Septimò accedunt duo pyramidales alarum nasi dilatatores 17. 19. $\frac{1}{4}$

Octavò musculi zygomatici 20. 17. & 19. 23. $\frac{1}{4}$, qui, labrorum angulos comprehendentes, si quando uterque simul agat, os ad risum componunt; sin alter duntaxat contrahatur, modò cynicum voluntarium, modò morbosum spasmum inducit.


Nonò apparet musculus gracilis 18. 17., qui zygomaticorum actionem, usumque æmulatur, & adjuvat.

Decimò musculi primi, & proprii superiùs labrum attollentes 17. 18. & 17. 23., ipsorumque antagonista inferiùs labrum deprimens, qui etiam musculus mentalis dicitur 24. 21.; alter verò depressor ejusdem mandibulæ 24. 18.

Undecimò observantur musculi labrorum communes, quorum prior à fibris circularibus 22. 21., orbicularis, seu labrorum constrictor nuncupatur, cujus iconem habes etiam in Figura III.

Duodecimò buccinator 21. 16. & 21. 44., qui partim labris, partim buccis communis ab aliquibus censetur; confert autem hic musculus ad cibum præfertim

5-1-307 P.64



tim huc illuc intra os volutandum, & in quibusdam ridendi motibus, ubi labrorum rimam nonnihil ad exteriora trahere opus est.

Figura II. depingit os hyoides cum cartilaginibus thyroide, & cricoide, & musculis dexteris sternohyoide propendente 20. 31., nec non sternothyroide 15. 28., & hyothyroide 9. $\frac{1}{1}$ 28. in situ.

Figura IV. musculum verosimiliter temporalem delineat extra situm, ut tendineus illius processus in acutum desinens 35. 30., quo maxillæ adhæret, evidenter conspiciatur.

In Figura V. observantur primò musculi sternohyoidæi, sive sternobicornei 57. 13. & 57. 17., qui primum par constituunt, & os hyoides rectà deorsum trahunt.

Secundò coracohyoidæus, sive anchorahyoidæus dexter 57. 9.; musculus nempe secundi paris, in quo maximè notandus est tendo intermedius 54. 11., in quem primò abit hic musculus, qui propterea vocari potest digastricus, seu biventer ossis hyoidis; quippe qui, si solus agat, præfatum os trahit obliquè deorsum, ac lateraliter versùs posteriora; si verò uterque tendatur, tunc idem os versùs posteriora ducit.

Tertiò musculi Græcis geniohyoidæi, Latinis verò mentobicornei appellati, quorum alter quum sit tertii paris, alter verò quarti; idcirco perspicuitatis gratiâ primus à situ, & structura externus, sive obliquus 47. 14. dici poterit, qui os hyoides lateraliter versùs anteriora sursum ducit; secundus verò internus, sive rectus 47. 16., trahitque idem os versùs anteriora sursum.

Quartò stylohyoidæus, sive stylobicorneus dexter 47. 12., musculus nimirum quinti, & ultimi paris, qui præfato ossi hyoidi addicti sunt.

Quintò occurrit tertium par musculorum, qui movendæ linguæ inserviunt; sunt autem ceratoglossi, seu cornulinguales 46. 17. & 46. $\frac{1}{1}$ 12. $\frac{1}{1}$ Horum musculorum si unus tantùm contrahatur, lingua in illud latus flectitur, si uterque simul, eadem in motu tonico detinetur.

Sextò musculi styloglossi, seu stylolinguales 45. $\frac{1}{1}$ 11. & 45. $\frac{1}{1}$ 19., qui quartum par constituunt, & linguam introrsum trahunt.

Septimò os hyoides in situ 48. 15.

Octavò observatione dignum censemus, quòd Autor glandulam ad menti latera demonstravit 43. 17.; similiter glandulam thyroidæam in situ 55. 15. cum ejus appendice sursum producta 52. 15. $\frac{1}{1}$ Confer ea, quæ doctissimus Morgagnus in suis Adversariis pag. 28. de unitate, & appendicibus glandulæ thyroideæ notavit.

Figuræ VI. & VII. persimiles sunt Figuræ II., nisi quòd in illis iidem musculi alio in situ observandi proponantur.

Figura VIII. exhibet potissimùm trachæam 56. 40. cum exiguis, sed numerosissimis glandulis trachealibus, quarum mirabilis profectò detectio temporibus, quibus Eustachius vixit, habenda est.

Secundò œsophagum 58. 41., ponè tracheam abscissum, ut ad illum musculus colli longus 48. 43. & 56. 42. pertingens observetur.

Tertiò repetit demonstrationem glandulæ thyroidææ omnino detectæ 54. 40., ut clariùs appareat ejus appendix 50. 40.; cui substrati observantur musculi cricothyroidæi 50. $\frac{1}{1}$ 40. & 51. 38. $\frac{1}{1}$: hi sanè primum par musculorum internorum laryngi famulantium constituunt, & cartilaginis scutiformis latera explicant.

Quartò cartilaginem thyroidem affabrè depictam ostendit 49. 38., è cujus sinistra regione apparet musculi œsophagæi pars superior 48. 41.

Quintò musculum stylopharyngæum sinistrum 44. 41. $\frac{}{}$, qui communem insertionem, ac tendinem habet 41. 44.

Sextò secundum par musculorum linguæ, qui basioglossi, seu basiolinguales nuncupantur 46. $\frac{}{}$ 36. & 45. 38. $\frac{}{}$, quique linguam versùs basim ossis hyoidis contrahunt.

Denique observantur in eadem Figura os hyoides 47. 38., musculi geniohyoidæus obliquus 45. 37., geniohyoidæus rectus 45. 35. $\frac{}{}$, ceratoglossus 44. 40., & styloglossus 42. 41.; de quibus jam in Figura V. satis disseruimus.

Figuræ IX. & X. ossicula interiùs ad utriusque auris tympanum posita, atque invicem articulata demonstrant, atque illud potissimùm, quod stapedem dicunt; cujus primus detector Romæ fuit Eustachius; pariterque musculum perigraphiam internum ad movendum maleum destinatum 55. 24. & 55. 33.; quem idem Autor invenit; quemadmodum ipsemet fatetur in Opusculis Anatomicis de Auditus organis pag. 154. *Ego quidem scio me neque edoctum, neque monitum ab aliquo, multò antè quàm ipsi scribant, id ossiculum novisse, Romæque non paucis ostendisse, atque in æs incidendum curasse: fietque nunc ex his, quæ explicaturus sum, ni fallor, manifestum, num propria ego industria auditus organa investigarim, & invenerim, an potiùs aliorum opera usus, quæ ab illis rectè inventa sunt, pro meis usurparim, & aliis recensere aggrediar.* Et pag. 157. *Quum instituisset natura auditus organa arbitrio voluntatis moveri, articulationem quoque, ac musculum, sine quibus fieri is motus nequit, tribuere illis voluit. Forma ossiculorum, quæ auditui serviunt, numerus, & compositio omnibus ferè jam innotuit: musculum, quod sciam, nemo adhuc invenit.*

Figura XI. fusiori expositione non indiget; quum in ea pauca sint, quæ in VII. jam demonstrata non fuerint. Illud tamen prætermittere non licet, quòd, detractis in hac Figura musculis longis colli, & glandula thyroidæâ, superiùs jam exarati linguæ, & ossis hyoidis musculi perbellè in situ delineati apparent, & primò basioglossi 75. 8. & 75. 10.

Secundò ceratoglossus sinister 74. 12.

Tertiò styloglossus sinister 72. 11.

Quartò stylopharyngæus sinister 73. 15. $\frac{}{}$

Quintò musculus œsophagæus 80. 16.

Sextò stylohyoidæus sinister 74. 14.

Septimò cricothyroidæus sinister 81. 13.

Octavò aspera arteria 85. 13.

Postremò œsophagi pars abscissa 87. 15.

Figura XII. ostendit, præter basim ossis hyoidis 61. 27., lævum latus cartilaginis thyroidis 63. 27. $\frac{}{}$, cum sinistris musculis hyothyroidæo 62. 30., & sternothyroidæo 70. 30.

Figura XIII. patefacit superiorem mandibulam cum palato, ut, detractis linguâ, pharynge, ac larynge, unà cum trachea, & œsophago, ostendat nonnullos musculos, & primò quidem pterigoidæum internum 69. 37.; externum verò 69. 49., qui adducendæ mandibulæ inferiori ad superiorem inserviunt, simulque cum temporali, & massetere ad mandendum cibum, comminuendumque inserviunt.

Quum autem inter musculos caput flectentes numerentur longi colli, horum qui-

quidem non unicum par, ut communiter, sed duplex facit Euſtachius, & de iis agit in ſuis Opuſculis de Motu capitis pag. 232., inquiens: *Vellem etiam mihi indicarent, quam ob cauſam muſculi ſtomacho ſubjecti, duorum loco in utroque latere haberi non debeant, neque inter capitis motores reponendi ſint; quum & ſine ulla difficultate ſeparari poſſint, & illorum nec brevis, nec anguſta portio in occipitis os adeo altè inſeratur, ut penè ad lineam tranſverſam, quæ id ab alio cuneo ſimile dividit pertingere videatur.* Quum verò iidem non ſemper eandem habeant utrinque inſertionem; idcircò Autor hoc loco demonſtrat in dextero occipitis latere inferiorem 74. 42., in ſiniſtro verò ſuperiorem 71. 43. ✝

Vide quæ de muſculis capitis in ſuis Notis eleganter deſcripſit clariſſ. Morgagnus.

Figura XIV. præter os hyoides, & cartilaginem thyroideam exhibet cricoidem à proprio muſculo denudatam 86. 28. Inſuper occurrunt muſculi œſophagæi expanſiones, ſuperior 81. 32., inferior 85. 31.; quibus docemur rationem, cur qui deglutiunt, cartilaginem thyroidem ad interiora deducant.

TABULA XLII.

Laryngem cum cartilaginibus, muſculis, & uno ex ventriculorum orificiis, pharyngem, os hyoides, & linguam cum variis muſculis, & glandulis repræſentat.



FIGURA I. complectitur lateralem faciem totius laryngis, & primo loco demonſtrat epiglottidem paululum elevatam 8. 21.; deinde duas prominentias cartilaginum arytænoidum 10. 21. -|- & 10. 22. -|- , mox latus ſiniſtrum cartilaginis thyroidis, quam ſcutiformem dicunt, à proprio ſitu deductum 12. 12., cujus proceſſus ſuperior 10. 3. -|- inferior 21. 10.; latus verò ejuſdem cartilaginis dexterum in proprio ſitu cum ſuperiori proceſſu 6. 28. -|- : ita enim muſculus ſuppoſitus thyroarytænoidæus in apertum venit 15. 18.

Advertat hîc Lector, quòd in Tabula XLI., ſcilicet præcedenti, Figura XIV. oſtenſa fuit ſuperior expanſio muſculi œſophagæi, qui thyroarytænoidæo ſimillimus videtur. Sed revera œſophagæus ſuperponitur proceſſui cartilaginis thyroidis; quum in præſenti Figura muſculus thyroidæus demonſtrari nequaquam poſsit, niſi pariter thyroidis cartilaginis portio diducatur. Muſculus deinde cricoarytænoidæus lateralis 15. 19. -|- & cricoarytænoidæus poſticus 18. 23., arytænoidæi 12. 22.; item aſpera arteria cum ſuis annulis 22. 19. Cernitur etiam portio œſophagi per longitudinem 23. 22.


Figura II. poſticam ejuſdem laryngis faciem delineat, in qua præter corniculatos ſuperiores proceſſus thyroidis, in conſpectum venit interna ſuperficies cartilaginis epiglottidis 6. 44. Item pars poſterior muſculorum arytænoidæorum ad decuſſim poſitorum 12. 43. & 12. 46.; quorum profectò imaginem nullus Anatomicorum, præter Euſtachium, elegantiorem nobis exhibuit, ut propterea noſter Autor eorum ſententiam antevertiſſe videatur, qui duos eſſe arytænoidæos muſculos conſtanter & pro veritate aſſeverant. Ulteriùs muſculos proponit cricoarytænoidæos poſticos 16. 42. & 16. 47. Exhibetur denique poſterior, & inferior facies cricoidis 20. 42. & 20. 46.; quam Figurâ X. inferiùs ab aliis partibus vindicatam videbimus.

De his muſculis vide, quæ habet Morgagnus in notis ad Tab. XLI. & XLII.

Figura III. oſtendit lateralem ſitum, & connexionem laryngis cum pharynge: in larynge quidem bellè cernitur rima 24. 29. -|- , per quam aer in pulmones ducitur, reduciturque. Muſculi item demonſtrantur hyothyroidæus ſiniſter 27. 29., & ſternothyroidæus pariter ſiniſter 32. 29., pharynx 30. 32., œſophagus 35. 32.

Figuræ IV. & VI. exhibent linguam parte poſticâ cum ſuis muſculis, pharynge, œſophago, & aſperæ arteriæ ſuppoſito ſegmento. Linguæ apex oſtenditur 32. 17. & 32. 45., baſis verò 36. 17. & 36. 45.; muſculi ſtyloglossi utrinque abſciſſi 40. 12. & 40. 21., necnon 39. 40. & 39. 49.; muſculi ſtylopharyngæi 39. 10. & 39. 23., necnon 39. 38. & 39. 50. -|- ; muſculi cephalopharyngæi in lineam albam deſinentes 36. 16. & 38. 44.; muſculus œſophagæus 46. 14. & 46. 19.; hyatus pharyngis 41. 45.; œſophagus 57. 17. & 57. 44.; aſpera arteria ſub œſophago locata 58. -|- 17. & 58. 44.

Figura V. obſervandam proponit linguam 47. 26., cum epiglottide 43. 36.
Ad-



TAB. XXXXII.

Advertatur verò ſeries fibrarum , quæ rectà à linguæ baſi in epiglottidis dorſum feruntur , quæque à clariſſimo Morgagno ligamentum medium appellatæ ſunt in ſuis Adverſariis Anatomicis. Hujuſmodi autem ligamentum cadit ſub 44. $\frac{1}{1}$ 34. & conferre plurimùm videtur ad epiglottidis elevationem. Siniſtrum verò ex lateribus oſſis hyoidis ligamentum apparet ſub 46. 34. Pag.16. §.17.

Os hyoides 46. 37., potiſſimùm verò glandulæ 45. 32., quæ ſterili Euſtachii ætate ab aliis Anatomicis nondum detectæ fuerant.

Figura VII. cartilaginem exhibet cricoidem , ſeu annularem anteriori facie.

Figura VIII. eandem cartilaginem lateraliter.

Figura IX. latus pateſacit dexterum thyroidis 75. 19.; cricoidis pariter dexteram faciem 83. 16.; epiglottidem 71. 20.

Figura X. cartilaginem cricoidem poſteriori facie viſendam proponit.

Figura XI. exhibet dimidium, hoc eſt dexteram, internamque partem capitis laryngis, ut ſcilicet unum ex orificiis ventriculorum ejuſdem laryngis veniret in apertum. Nam quum Euſtachius Galeni , ubi vera propoſuit, gravem, aſsiduumque vindicem ſe præbeat; quumque ab Anatomicis ætatis ſuæ prætermiſſa tum orificia, tum ventriculos, quorum Galenus meminit, animadvertiſſet ; jure merito iconem hanc primus nobis expoſuit. Agit autem Galenus de orificiis, & ventriculis laryngis 7. de uſu part. cap. 13., eaſque particulas elegantiſsimè ad naturæ modulum ſtylo ſuo depingit. Inquit enim *Ne id quidem eſt à natura improvidè factum, quæ foramen in utraque lingulæ parte unum fecit , & foramini ipſi parte interna ventriculum appoſuit non parvum*. Perſequiturque deinde inferiùs diligentiſsimam harum cavitatum deſcriptionem, dum ait: *Circa principium foramen utrinque occurrit, prælongum supernè, deorſum inſtar lineæ cujuſdam anguſtæ; tametſi ipſum non eſt anguſtum, ſed membranoſa labiorum ſubſtantia velut procidit in ſubjectam cavitatem; quo fit, ut rima, ac fiſſura quædam potiùs , quàm foramen appareat, antequam orificia ſint pateſacta; quibus adapertis planè & ipſum jam apertum, & ſubjecta ipſi cavitas aperta cernitur*.

Horum quoque orificiorum figuram elegantem planè ſuis in Adverſariis edidit clariſsimus Morgagnus Tabulâ II. Figurâ II. & III.; in IV. verò ſiniſtrum ventriculum à complectentibus illam particulis diligenter vindicatum exhibet.

Sed ad noſtrum revertentes inſtitutum , obſervamus Figura hac XI. diſſectam per medium laryngem, cujus epiglottis cadit ſub 70. 42., thyroidis cornu dexterum 70. 50., arytænoidis dexteræ pariter ſuperior pars 73. 45., orificium verò ventriculi dexteri 77. 41.; item cricoidis pars dextera 83. 44.


Quod verò ſpectat ad uſum ventriculorum laryngis , de eo quidem primùm egit Galenus, deinde etiam noſtro ævo laudatus Morgagnus , ad tonorum ſcilicet vocis diverſitatem modulandam illos factos aſſeverantes, quorum ſanè opinioni noſtram quoque libenter adſcribimus, præſertim quum animadvertamus, muſculos thyroidæos non ad thyroidis cartilaginis motum, ſed ad ſuppoſitos proximè ventriculos arbitrio, blandèque pulſandos fuiſſe conſtitutos. Si quis enim ſumat laryngem, atque in ea cartilaginem thyroidem diligenter, quod facile eſt , à ſubjecto muſculo diducat (hoc enim ſtudium adhibuit Euſtachius in Figura I. hujus Tabulæ) perſpicuè videbit muſculum thyroidæum tenaciùs adhærere ſubſtratæ membranæ , quæ ventriculi dorſum ambit, atque efformat, quàm ſuperpoſitæ cartilagini, quæ certè nullum ad interiora motum per ſubjectum hunc muſculum experitur: quamobrem thy-

roi-

roidæorum muſculorum actio penè tota verſari mihi videtur invalidè introrſùm pellendis ventriculorum parietibus ; ita ut inde contentus aer pro impulſionis , qua truditur , varietate , majori , vel minori celeritate versùs laryngis rimam , & epiglottidem urgeatur , varièque circulari etiam motu ducatur in gyrum , ſi per vim muſculorum arytænoidæorum ipſa laryngis rima plùs ſolito coarctetur. Exemplum in artefactis ſonorum inſtrumentis tametſi vulgare, non proinde tamen minùs aptum ad explicandam laryngis ventriculorum, & circumambientium muſculorum actionem illud præbet tibiæ genus, quod Ruſtici parare ſolent ex hædina pelle , aut ovillo ſtomacho: ii enim ad varios excitandos, temperandosque ſonos , utrem illam viciſſim inflant , & variè admotis ad tibiæ foramina digitis , eandem plùs minùs ſub alis premunt. Sed natura, quæ, ut Hippocrates ait, omnium artium magiſtra eſt ſine doctore, multas, diverſasque voces fundit ex larynge, quum aer ex tumentibus pulmonibus , prædictiſque ventriculis non tantùm inferiùs à diaphragmate , quantùm ſuperiùs propè laryngis dixerim tibiam à muſculis thyroidæis, & arytænoidæis diverſis modis comprimitur , atque exprimitur. Neque autem thyroidæi muſculi urgendo duntaxat ventriculorum dorſum modulandæ voci inſerviunt , ſed etiam multis modis immutando figuram totius internæ cavitatis laryngis. Nam ſi iidem thyroïdæi unà cum muſculis arytænoidæis deſcendant ad officium, difficile eſt, quin figura comprehenſæ cavitatis quoquomodo permutetur. Arytænoidæi enim poſticâ parte ad decuſſim poſiti , dum contrahuntur introrſum premunt, ac proinde ſi vel uno, eodemque tempore tendantur , vel non tendantur muſculi thyroidæi, qui latera ventriculorum complectuntur, tunc quidem neceſſariò cavitas vel undequaque , vel per partes ſolùm contracta, tum in minorem diametrum redigi, tum figuram mutare debebit ; contrà verò laxatis muſculis in naturam redire; quamobrem aer non tantùm celeriùs, verùm etiam pro varia repercuſſione formatus egredi , ac vocem effingere cogetur. Porrò ex horum ventriculorum, atque orificiorum majori , vel minori amplitudine magnam partem oriri ſuſpicamur naturalem diverſitatem tonorum vocis in hominibus . Etenim qui prominentiori , majorique thyroide ſunt præditi; quoniam amplioribus ventriculis donantur, plùs minùs gravi , imò etiam graviſsimâ voce loquuntur. Qui è contrario thyroidem , ſeu ſcutiformem cartilaginem nihil omnino prominulam habent, ut fœminæ , & ſpadones , acutiſſimam vocem emittunt; nimirum quia in iis contenta cavitas minima eſt. Qui denique medium locum tenent , medias etiam voces intendunt; potiſsimùm quia majori , vel minori ventriculorum cavitati reſpondent quoque majora, vel minora eorundem orificia , ac laryngis rimæ : unde univerſum organum ad voces edendas majus, vel minus compingitur, atque conſurgit.

Figura XII. cartilaginem arytænoidem muſculis omnino denudatam oſtendit.

TA-


I
II
III
TAB. XXXXIII.

TABULA XLIII.

Ostendit anteriorem totius sceleti faciem cum bifariam secto petroso osse.



IN Figura I. habent plurimum inter alios Chirurgi, quod debeant Eustachio. Nam, quum anticum sceleti prospectum delineaverit, naturales supernorum, atque infernorum ossium inter se articulationis modos ostendit, ex quorum cognitione tota mechanica tam luxationum, quàm fracturarum, illarumque restituendarum ratio erui & potest, & debet. Nemo siquidem obliquum statum ipsarum luxationum, vel mente concipere, vel re ipsâ emendare poterit, nisi rectum (ubi quis, deficiente sibi sceleto, atque archetypo, inspicere, ac tractare prohibetur) concinnâ saltem figurarum delineatione cognoverit.

Cernat itaque Lector (omissis calvariâ, & maxillis, quippe quas Tabula XLVI. luculenter, ac singillatim exhibebit) mirabiles connexiones claviculæ cum superiore, ac laterali sinu ipsius sterni 18. 28. & 18. 30., & cum superiore scapulæ processu, utrobique mediâ cartilagine 15. 22. & 15. 36.

Similiter notetur articulatio cervicis scapulæ cum ejusdem humeri capite 16. $\frac{1}{1}$ 23. $\frac{1}{1}$ & 16. $\frac{1}{1}$ 35., quæ fit per diarthrosim. Hæc autem magnam lucem, tum cognoscendis, tum restituendis harum partium luxationibus afferunt.

Demonstrat ulteriùs costas, quæ dicuntur spuriæ, per cartilagines transversas 27. $\frac{1}{1}$ 27. & 27. $\frac{1}{1}$ 32. & 31. 25. & 31. 33., eo loco, ubi longiùs distant, plurimùm firmari, ita ut continuum solidum ad earum firmitudinem inter cartilaginem inferiorem, ac superiorem intercedat.

Observentur autem in extremis apicibus vertebrarum colli quidam sinus, eleganter delineati, quos quidem illud præstare nemo Anatomicorum dubitabit, ut ligamenta, ac tendines validiùs excipi, alligarique possint.

De supernorum artuum ossibus, vix aliquid notare possumus, quod inspectoris in oculos non statim incurrat. Illud solummodo arbitramur attentè animadvertendum, quòd os cubiti, licèt cum radio articuletur, nullâ tamen verâ articulatione connectitur cum carpo, cui per arthrodiam inferius radii caput jungitur. Unde Chirurgi sedulò monendi sunt, ne simplicem cubiti eo loco hiatum, ideo putent luxationem esse, quòd exteriùs cubiti tuberculum 43. 45., suapte natura liberum sub comprimentibus digitis facilè sentiant.

Ad infernos verò artus descendentibus, mirabilis apparebit delineatio singulorum ossium, eorumque articulationum facto initio ab ossibus, quæ oblongis tuberibus, & sinubus, cartilaginum interjectu, lateribus ossis sacri 41. 29. sunt invicem commissa; hæc siquidem superioribus in partibus dicuntur ilia 38. 25. & 38. 34. anteriore verò facie os pubis 44. 29., inferioribus tandem coxendicis ossa nuncupantur 45. 27. & 45. 32.; in quorum centra cavitates (acceptabula dicta) excipiendis femorum capitibus 42. $\frac{1}{1}$ 25. & 42. $\frac{1}{1}$ 34. insculpta sunt. Ubi observatione dignum putamus, quòd eadem femorum capita posteriùs magis, quàm anteriùs à parietibus ossium ilium, sunt munita; quia periculum luxationis magis in posticam, quàm in anticam partem

tem impendebat. Nam antrorſum à frequenti caſu nos tuentur non ſolùm pedum plantæ ad anteriora porrectæ, verum etiam exteriùs gibbæ; interiùs autem curvata femorum oſſa, quæ idcirco veluti tibicines, ſeu fulcra, quibus parietes à ruina prohibentur, truncum, & viſcera, ne in faciem facilè collabantur, impedimento ſunt. In cervicibus, ſeu capitibus femorum oſſa, quæ omnium maxima ſunt 50. 22. & 50. 35. duplici utrinque appendice trochanteris, ſeu rotatoris nomine donantur, quarum majores ſuperiùs, & exteriùs 44. 22. & 44. 36., minores verò inferiùs, ac interiùs 46. 24. & 46. 34. Notetur os femoris, quàm bellè levigatum anteriori parte, & lateribus appareat; contrà verò aſperum poſteriori, ſcabrumque unà cum cauta linea per longum ducta, ad facilem muſculorum inſertionem, adhæſionemque ſequentibus duabus in Tabulis deprehenditur. Os femoris inferiori ſua parte craſſiſſimùm eſt 63. 21. & 63. 35., & in duo capita, ſinu interveniente, dirimitur; quo ſanè in ſinu excipitur patella 64. 20. & 64. 34. +, ut corpus humanum ſine caſus diſcrimine ad perpendiculum faciliùs ſtare poſſit.

Tibiarum oſſa latis baſibus 65. 21. & 65. + 35. intra proprios ſinus, femora ſuperiùs excipiunt; ad latera verò exteriora fibulis 67. 20. & 67. 36. committuntur. Figurâ ferè triangulari ad anteriora inſigniri ſolent, cujus linea dicitur ſpina. Inferior tibiæ appendix internum maleolum efformat 83. 26. & 84. 34. Quemadmodum fibulæ ipſius protuberantiæ externos conſtituunt maleolos 83. 23. + & 85. 36. + Tibia verò parte inferiori, unà cum fibulæ appendice efformato ſinu, talum admittit 84. 25. & 85. 35.

Succedunt deinde pedis oſſa diligentiſſimè delineata, quorum primum tali ſuperiorem partem conſtituens, aſtragalus appellatur 83. + 25.; ſecundum majus calcaneum, ſive os calcaris dictum, inferiùs locatur ſub 86. 27.; tertium ſcaphoides, ſeu naviculare 85. 23. +; quartum verò cuboides 85. + 23. audit. Cætera denique oſſa tum tarſi cuneiformia, tum metatarſi, & digitorum adeo per ſe manifeſta ſunt, atque in hac Tabula clarè exponuntur, ut in horum explicatione, & nomenclaturis diutiùs immorari ſupervacaneum arbitremur.

Figuræ II. & III. exhibent ſegmenta oſſis petroſi dexteri bifariam ſerrâ diviſi, cujus Figura II. externam, & inferiorem partem; III. verò internam, & ſuperiorem repræſentant.

Figura itaque II. demoſtrat primò 75. 8. uſque ad 75. 11. oſſis petroſi foramina (medullaris ſubſtantiæ ſedes) quæ ad uſque internam ſubſtantiam proceſſus maſtoidæi porriguntur.

Principium proceſſus ſtyloidis 69. 13.

Proceſſus maſtoidæus 72. 13.

Portio dextera meatus auditorii diſſecti 72. 16.

Figura III. alterum ſegmentum oſſis petroſi dexteri oſtendit, in qua demonſtrantur.

Os zygoma 75. 40. uſque ad 75. 44.

Sinus oſſis ad excipiendum poſterius caput mandibulæ inferioris 74. 45.


Altera portio meatus auditorii externi diſſecti 75. 48.

Tympani cavitas, ſeu concha interna 73. 49.

Foramen, per quod tranſit arteria carotis 70. 49. +

Poroſitates oſsis petroſi, reſpondentes ſororibus ſuis ſuperiùs demonſtratis, 72. 50.

TA-


I
II
III
TAB.
XXXXIV.

TABULA XLIV.

Exhibet posticas sceleti partes cum segmentis ossis petrosi.



IGURA I. exponit posteriorem totius sceleti faciem accuratissimè expressam, ut observentur

Primò quinque vertebrarum superiorum colli processus bifurcati, angulum internum efformantes 13. 30. & 12. $\frac{1}{1}$ 29. $\frac{1}{1}$ & 16. $\frac{1}{1}$ 29., nimirum, ut tam ligamenta, quàm tendines musculorum validiùs iis locis firmari possent. Notetur deinde, eosdem processus ab ultima colli vertebra usque ad os sacrum accuratâ quidem, sed simplici spinâ donari.

Secundò costarum cum vertebris articulationes.

Tertiò earundem costarum superficies externa versùs dorsum aliquantulum aspera, ex qua tendines, ac ligamenta prodeunt, quibus eædem vertebris alligantur.

Quartò claviculæ cum superiore scapulæ processu articulatio 17. 22. & 17. 37.

Quintò situs radii, & cubiti in rotationis motu sinistri brachii 33. 16.

Sextò *ossis innominati* fulcimenta, atque commissio 45. 24. & 45. 35., cum ossium femoris capitibus.

Septimò superiores sinus in utraque tibia, à quibus inferiora femorum tubera excipiuntur 67. $\frac{1}{1}$ 23. $\frac{1}{1}$ & 67. 37.

Octavò fibularum inarticulationes superiùs quidem cum utraque tibia, inferiùs verò cum ossibus tarsi 87. 23. & 87. 36.

Hoc etiam notandum venit in præsenti Figura, quòd fibula inferiùs non cum tibia (quemadmodum cubitus cum radio solùm, non verò cum carpo) sed cum tarso articulatur, ut scilicet majorem stanti ad lineam sceleto firmitatem posſit afferre.

Denique ossa ipsa tarsum præcipuè componentia, quæ per se patent.

Figura II. exhibet portionem ossis petrosi quæ scalpello ita est præparata, ut aquæductum demonstret.

Figura III. exhibet in osse petroso duos canales semicirculares, majorem 74. 49., & minorem 75. $\frac{1}{1}$ 49.

TABULA XLV.

Posticam, sed in latus parum deflexam totius sceleti faciem unà cum dissecto osse petroso videndam præbet.



N prima sanè Figura plurima circa ossium tum structuram, tum connexionem animadversione digna se præbent: & quidem in cervice notentur transversi processus vertebrarum, qui ferè omnes non modò perforati sunt, sed à tertia usque ad primam thoracis singuli sunt bifidi, licèt hoc obscurè cernatur in septima. In aliis simplices sunt, nec perforati; sed in prioribus novem thoracis vertebris superiore parte gibbi sunt; inferiore autem cavi; imò verò retrorsum, ac sursum magis, quàm deorsum feruntur. Laterales insuper vertebrarum thoracis apices in dextera potissimum parte sinuosi apparent; quemadmodum verè sunt à natura constructi; ut costarum capitula facilè possint admittere. In decima hi sinus obscuri sunt. In sequentibus verò lumborum vertebris nulli penitus spectantur.

Ostendit quoque, ut in Figura præcedenti, alteram claviculæ extremitatem cum superiore scapulæ processu per cartilaginem 17. 17. adnecti.


Similiter singularum costarum, præsertim verò sinistri lateris cum spina articulationem, quam etiam per cartilaginem fieri luculenter apparet.


Figura II. exhibet os petrosum dexterum dissectum, ut & concha interna cum cochlea, suisque foraminibus cerni possint. Cochlea apparet sub concursu 70. 44.

Concha 73. 43.

Principium processus styliformis 71. 49.

Processus mastoidæus 75. 52.


I
II
TAB. XXXXV.



TAB. XXXXVI.

TABULA XLVI.

Varias calvariæ, omniumque cranii ossium figuras exhibet.



Meritò universa hæc Tabula versatur in ostendendis potissimùm diversis calvariæ figuris, quippe quas tùm Medicos, tum Chirurgos edoctos voluit magnus Hippocrates in libro De Vulneribus capitis. Nam, quum naturalis capitis figura instar oblongæ sphæræ, utrinque leviter depressæ, juxta consuetas naturæ leges formata sit; idcirco priorem, posterioremque partem obtinuit prominentiorem. Fit tamen non raro, ut capita inter se varient, non solùm suturarum numero, sed etiam diversitate figurarum.

Quamobrem Eustachius Figura I. ostendit quidem cranii formam naturalem, sed suturam saggittalem productam usque ad nasi radicem, ad quam etiam pertingit in Figura X.; verùm in hac deest sutura coronalis, quæ tametsi in Figura XVII. animadvertatur, perit tamen anterior eminentia, quæ à syncipite, frontisque elatiori sede produci solet; sed posterior, quæ occipitis est, reservatur. Figura verò VIII. quanquam posteriore solùm sua parte occurrat; tamen videtur aliquid illius eminentiæ deperire in occipitio, quam servant aliæ.

Figura II. indicare videtur calvariam vel hominis monstruosam, vel simiæ, & fortè simiæ potiùs, quàm hominis; quum in osse jugali loco suturæ cernatur simplex linea, quam Eustachius in simiis eodem in osse reperiri autumat in libro De ossium Examine pag. mihi 174.; ubi pariter idem os jugale crassius, ac robustius esse in simiis, quàm in hominibus scriptum reliquit. Illud insuper addens ibidem pag. 173., nempe quòd in simiarum cranio nullum propemodum apophysis mammillaris vestigium cernitur; styliformis verò adeo obscura nota videtur, ut altero potiùs, quàm eo nomine digna esse, censeri jure possit.

Figuram III. exhibuisse videtur Autor, ut refelleret eorum præcipuè opiniones, qui, verbis potiùs, quàm experimentis, innixi, eam suturam, quæ sagittam imitatur, in humanis craniis nunquam deesse, sed perpetuò observari cum Galeno asseruerunt. Inquit enim Eustachius loc. cit. pag. 170. *Ego eam*, nimirum suturam, (*quamvis hactenus nemo animadverterit*) *frequenter deesse invenio, & paucis ante diebus in publico Theatro quindecim ejus formæ calvarias ante oculos omnium cernendas, & examinandas exposui, in quibus obelæa sutura penitus deest, nullumque vestigium sui ostendit, quamvis aliæ suturæ sint concinnè, & eleganter exculptæ.*

Figuræ V. & VI. utrunque os petrosum repræsentant cum foramine 25. 22. & 22. 36. $\frac{1}{2}$, per quod nervus auditorius ingreditur.

Figuræ XII. & XIV. ostendunt sellas turcicas cum ossibus cribriformibus, & processibus cristatis. In cribriformibus verò ossibus notentur foramina, per quæ processus papillares, seu nervi olfactorii aliquid ab externis naribus accipiunt, pariterque ab internis partibus effundunt. In Figura XII. os cristatum apparet sub coagmentatione 50. 29.; foramina verò ossis cribrosi utrinque oculis apparent in Figura XIV.

Os criſtatum incidit etiam ſub concurſu 60. 29.; utrinque autem apparent prædicta foramina.

In eadem XIV. Figura obſervantur foramina, per quæ nervi optici ad oculos tranſeunt 67. ÷ 27. ÷ & 67. ÷ 30.

Item foramina, per quæ admittuntur ſanguinea vaſa 71. ÷ 24. & 71. ÷ 23. ÷


Sella quoque turcica apparet 69. 29.: quæ diximus foramina omnia bellè cernuntur etiam in Figura XII.

Figura XIII. demonſtrat os cuneiforme, quà reſpicit fauces cum ſuis foraminulis, per quæ nonnulli aerem illabi uſque ad cerebrum aſſeverant.

Figura XVI. repræſentat inferiorem partem cranii ſub oſſe ſphænoide cum ſepto medio ipſius naſi, quod ſtyliformem figuram, ab aliis oſsibus, & cartilaginibus liberatum, æmulatur.

Figura XVII. peculiarem morboſæ ſuturæ figuram delineat, in qua caput ferè adamuſsim rotundum obſervatur, quæ figura à nonnullis φοξὸς, ſive ὀξυκίφαλος dicitur, in qua una ſutura transverſim ducta à dextera in ſiniſtram aurem, per medium caput ducitur; altera autem ab eo foramine, per quod ſpinalis medulla egreditur, per longitudinem capitis ad naſi radicem pertingit.

TA-


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV
XXVI
XXVII
XXVIII
XXIX
XXX
XXXI
XXXII
XXXIII
XXXIV
XXXV
XXXVI
XXXVII

TAB. XXXXVII.

TABULA XLVII.

Complectitur omnia ossa, quæ sub cranio totam penè hominis fabricam compingunt.



MIRAM sanè Eustachii sedulitatem in hac Tabula animadvertere poterit quisquis vel modicè in tractanda Anatome versatus fuerit. Primæ autem Figuræ maxillas superiorem, & inferiorem, earumque partes, ac dentes omnis generis delineant; à prima nempe Figura usque ad octavam, decimam, & duodecimam.

Hoc tamen miminè prætereundum censemus, quòd Autor in Figura V. ostenderit bina foramina mandibulæ inferioris, primum videlicet, & superius interiore parte 5. -|- 28., alterum verò inferius, & exterius 10. 31.

Superius foramen, quod inæquale est, viam præbet portioni quinti paris nervorum cerebri per dentium radices dispersæ unà cum venula, & arteriola, quæ dentes, & maxillam alluunt: aliud verò foramen, scilicet inferius, prædicto minus, ejusque nervi sobolem in humilius labrum procidere sinit.

Figuris IX. & XI. spondilia omnia cum suis cartilaginibus demonstrat a collo usque ad coccygem: Figura enim IX. primam, & secundam ex colli vertebris inarticulatas, & posticâ parte delineatas exhibet; in quarum prima 15. -|- 6. & 15. -|- 11. ostenduntur leves cavitates à Galeno glenoides appellatæ, quibus excipiuntur cranii tubercula, seu eminentiæ nequaquam acutæ, dictisque cavitatibus adamussim respondentes. Ligamentum transversim ductum, quod complectitur, & vincit versùs anteriora osseum processum secundæ vertebræ, quem vulgus Anatomicorum dentem appellat 15. 8.

Hîc verò illud diligenter animadvertendum venit, quòd veritatis imagine ductus Autor, non unicum, illudque ab aliis recensitum perpendiculare ligamentum delineat, sed duo alia è regionibus posita, quæ validè dentem ipsum parti anteriori ossis occipitis vinciunt, atque colligant. Apparent autem ejusmodi lateralia ligamenta, veluti duo processus nervosi, dexterum scilicet 15. -|- 7.; sinistrum verò 15. -|- 9. Ac ob majorem rei perspicuitatem ejusdem Autoris verba huc transferre liceat; appositè siquidem ejusmodi ligamenta describit De Motu Capitis pag. 229. *Aliud ligamentum proceritatem secundæ vertebræ, quam dentem nominant, capiti alligans, ut novi quoque Anatomici arbitrantur, simplex non est, sed ex tribus crassissimis, atque validissimis compositum. Ex quibus duo ferè teretia, utrinque nimirum unum, ab externa sede summitatis ejusdem apophysis oriuntur, & internæ, anteriori-ve parti utriusque coronæ occipitis inseruntur. Tertium, quod in medio horum consistit, quamvis robustissimum sit, & instar nervi mediocriter rotundum, nihilominus magnitudine, & rotunditate ab utroque horum superatur. Oritur autem ab interiori regione apicis processus dentem referentis, prioríque, ac mediæ sedi foraminis medullæ spinali parati, valde adhærescit. Hæc tria ligamenta, quorum duo extrema negligenter ab aliis prætermissa sunt, ut motum capitis rectè quis percipiat, magnum habent momentum; illudque peculiare obtinent, ut secundùm quasdam ipsorum portiones, tum invicem connascantur, tum verò cum illo, quod huic parti occipitis pri-*

primam vertebram connectere dixi. Postremum ligamentum, instar nervi, seu tendinis digitorum, mediocriter rotundum, nonnihil depressum, durum, ac robustum est adeo, ut à cartilaginis natura parum recedat. Hoc primæ vertebræ cavitatem, quæ dentem suscipit, extrinsecùs circundat; oriturque à sinu utrinque ipsius gratia excavato, & à dextera parte ad lævam procedens, velut angulum rectum efficit, secundæque vertebræ extremum turbinatum adamussim constringens, simul ipsum firmat, ut in neutram partem inclinet; & medullam spinalem, quasi vallum ab eo separans tegit, ac protegit, ne ossi nudo, & errabundo assiduè occurrens lædatur. Ab hoc transverso ligamento duo gemina, ab aliis Anatomicis prætermissa, oriuntur; quorum alterum tenue, ac membranosum ab interna ligamenti sede principium sumens, undique circa dentis radicem insertum, primam vertebram secundæ connectit. Hoc nobis, opinor, innuit Galenus, ubi transversi ligamenti beneficio dentem cavitati primæ vertebræ alligari dicit.

Ligamentum transversale prioris vertebræ, quo pariter suo in situ detinetur processus dentatus cadit sub 16. -|- 8., apophyses laterales primæ vertebræ 16. 13. & 16. 13., indicatur subinde processus posterior primæ vertebræ 18. 8.; processus verò laterales secundæ vertebræ 19. 4. & 19. 12. apparent; cujus etiam posterior prominentia, seu spina delineatur 22. 8.; hiatus autem inter primam, & secundam vertebram, per quam artificio prosectoris consultum fuit, ut transitus spinalis medullæ cerneretur, cadit sub 19. 8.

Neque autem silentio prætereundum in Figura XI., quòd prima cervicis vertebra destituatur eâ, quæ medium tenet, spinâ, sed ejus loco præter aliarum morem tuberculum 14. 27., ad faciliùs edendos superincumbentis capitis motus obtinuerit.

Figura XIII. claviculam, & Figura XVI. scapulæ dexteræ internam partem designant.

Figuræ XIV. & XV. hyoidis ossa anteriori facie observata depinguntur, in quibus maximum ossiculum 24. 19. & 24. 34. apparet latiusculum, & foris gibbum, privatoque tubere prominens; ad cujus latera duo primi ejus musculi inseruntur, ac etiam superiùs quasi in oblongum sinum depressum, cui tertius, & quartus, peculiares sui musculi, innectuntur.

Humiliora verò ossis hyoidis ossicula utrinque designuntur sub 23. 17. & 23. 20. & 23. 33. & 23. 36., quæ nonnihil breviora, latioraque superiori lateri majoris ossiculi ligamento, cartilagineque validè alligantur. Quorum finis superiori processui scutiformis cartilaginis colligatur.

Superiora ossis hyoidis ossicula 21. 16. & 21. 21. & 20. 32. & 20. 36. -|- humilioribus magis teretia; quibus alia rursus oblonga, teretiaque ossicula, tantisper continuâ serie coagmentantur, quousque ipsorum fines propè radicem styloidis processus inserantur. Hæc ossicula non pari semper observantur numero; ut plurimùm tamen terna, quaternaque utrinque cernuntur. Quanquam quandoque, maximèque in mulieribus hæc ossicula simul cum superiori latere desint; vices tamen ipsorum teres quoddam, validum, & oblongum ligamentum gerit.

Sternum similiter Figura XXI. cum duplici ossium ordine compositum; Figuris nanque XVIII. & XIX. uno ossium ordine integratum cernitur. Figura autem XX. sternum partim ex simplici, partim ex duplici ossium ordine compactum; in qua sanè Figura observanda potissimùm venit cartilago ensiformis perforata 42. 18. -|-

Fi-

Figura XVII. exhibet fortasse alicujus bruti scapulam.

Figuræ XXIII. & XXIV. effractas costas repræsentant, quarum unam ex legitimis Figura XXII. pariter confractam fortè ostendit.

Ossa humeri, radii, & cubiti cum ossibus manuum Figuris à XXVI. usque ad XXXI. exprimuntur.

In Figura XXXVII. apparent ossa sesamoidea in extremitatibus ossium metacarpi.

Figura verò XXV. eadem sesamoidea ossa in singulis articulationibus.

Figuris tandem à XXXIII. usque ad XXXVI. delineantur ossa carpi, mole quidem sua paululum adaucta, sed tamen naturaliter articulata; quemadmodum in tribus Figuris XXXII. XXXIII. & XXXVII. observantur.

Habes, amice Lector, quæ industriâ, ac studio nostro tum ex omnium Eustachii operum attenta lectione, tum ex accurata, quantùm in nobis fuit, cadaverum inspectione, & cum in singulis Tabulis comparatione, consequi potuimus, ut rei Anatomicæ studiosis notarum vices expleremus. Utinam in lucem, quas Autor ipse perscripsit, Annotationes aliquando prodirent: nam non ægrè ferremus exigui nostri laboris jacturam. Vale.

FINIS.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM

A

B

C

D

Distri-

Me-

85

Mu-

Pecti-

Q

R

S

Ster-

Venu-

FINIS.

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
X.	ult.	*Wander . Linden*	*Van der Linden*
XVII.	11.	coſtans	conſtans
XXI.	32.	malei	mallei
	48.	*contraverſiam*	*controverſiam*
5.	2.	tuncæ	tunicæ
7.	5.	ducitur	ducitur
9.	38.	azigæ	azygæ
11.	19.	exturbantes	extuberantes
14.	41.	ſedes	ſedem
15.	2.	diſcribitur	deſcribitur
	24.	quam	quàm
21.	6.	adænas	adenas
25.	12.	Fgura	Figura
28.	25.	maximi	maximè
38.	11.	opere	operæ
40.	20.	Diamembroëchius	Diemerbroeckius
42.	14.	oſtenduntur	oſtendunt
44.	41.	Gaſterocnemii	Gaſtrocnemii
48.	15.	trapetiis	trapeziis
49.	32.	hyoidis	hyoides
51.	30.	præterendum	prætereundum
57.	39.	ſphycteris	ſphincteris
59.	11.	ſpincteris	ſphincteris
62.	18.	umilis	humilis
66.	14.	maleum	malleum
	44.	pterigoidæum	pterygoidæum
70.	1.	invalidè	in validè
	10.	illam	Illum
71.	42.	acceptabula	acetabula
72.	9.	levigatum	lævigatum
	10.	cauta	acuta
	19.	maleolum	malleolum
	21.	maleolos	malleolos
75.	13.	ſaggittalem	ſagittalem
		IN INDICE.	
D.		Diamembroëchius	Diemerbroeckius
G.		Gaſterocnemii	Gaſtrocnemii
I.		Jejunium	Jejunum
L.	*lin.* 18.	Coëvis	Coævis
M.	*lin.* 17.	oſtiam	ad oſtium
N.		Nervologia	Neurologia

Index Librorum, quorum uberior copia est apud Laurentium, & Thomam Pagliarini.

folio.

Baccetì. Septimiana Historia. Romæ.
Bellarminus Card. Controversiæ. vol. 5. Venetiis.
Bernini. Il Tribunale della Sacra Rota. Roma.
Chiapponus. Acta Canonizationis Sanctorum. Romæ.
Ciriacus Anconitanus. Epigrammata. Romæ.
Corradinus. Latium vetus. fol. parv. tomi 3. Romæ, & Patavii.
Fabretti. Inscriptiones. Romæ.
Fargna. De Jure Patronatus. t.3. Romæ.
De Franchis. Vignolus restitutus. Lucæ.
Giordano. Euclide restituto. Roma.
Inscriptiones Basilicæ S. Pauli. Romæ.
Maffei. Immagine del Buon Vescovo. Roma.
Memorie della Città di Urbino. Roma. con figure.
S. Nilus. Epistolæ, & Opuscula. t. 2. Romæ.
Pacchimerus. Andronicus G. L. Romæ.
Pontificale majoris Hebdomadæ. Urbini.
Pontificale Romanum. t.3. Romæ. cum figuris.
Posinus. Catena Græcorum Patrum. Romæ.
Schiara. Theologia Bellica. t.3. Romæ.
De Sem. Memorabilia cujusvis Seculi. Romæ.
Sergardi. Relazione della Statua di Carlo Magno, con la figura della Statua. Roma.
Tilli. Catalogus Horti Pisani. Florentiis. cum figuris.
Florianus. Defensio Malpichii. Romæ.
Fontaninus. De Antiquitatibus Hortæ. Romæ cum figuris.
Inguimbert. Specimen Catholicæ Veritatis. Pistorii.
Laderchius. Acta S. Cæciliæ. t. 2. Romæ.
——— Acta Martyrum vindicata. t. 2. Romæ.
Lancisius. De Aere Romano. Romæ.
——— De Bouilla Peste. Romæ.
——— De Noxiis Paludum effluviis. Romæ.
Massi. Istruzioni per le Monache. Roma.
Mattei. L'Antico Tuscolo, oggi Frascati. Roma.
Navarrus, & Sirus. Praxis Sac. Pœnitentiariæ. Romæ.
Pascoli. Del Moto. t. 2. Roma.
——— Della Natura de' nostri Pensieri. Roma.
Pansa. La Repubblica di Amalfi. t. 2.
Rainaldi. Continuazione degli Annali del Baronio. t.3. Roma.
Rituale Romanum. Nova editio. Urbini.
Rondaninus. De Basilica S. Clementis. Romæ.
Salustius Tiberius. Formularium Instrumentorum. Ult. Edit. cum Addit.
Vita di Raffael Volaterrano. Romæ.

4.°

Barziza. Opera varia. Romæ.
Charles. De Opinionum delectu. Romæ.
Ciceronis Orationes ad usum Delphini. tomi 3. Venetiis.
——— Epist. Famil. ad usum Delph. Venetiis.

8.°

Cassiodori Opuscula. Florentiis.
Genga. Anatomia. Roma.
Oliva. In Anaglyphum Græcum. Romæ.
Ptolomæi Vetustalia. Romæ.
Vittoria. Osservazioni alla Felsina pittrice. Roma.